EXAMEN
CONFESSARIORUM

SEU COMPENDIUM

THEOLOGIÆ MORALIS

PRO IIS QUI APPROBANDI SUNT

AD EXCIPIENDAS SACRAMENTALES CONFESSIONES

PER

AGNELLUM PORPORA

INSIGNIS COLLEGIATÆ S. JOANNIS MAJORIS CANONICUM
HUJUSQUE DIŒCESIS EXAMINATOREM

AD USUM SUÆ ACADEMIÆ DISPOSITUM.

EDITIO TERTIA

PERQUAM PERPOLITA ET AUCTA.

IN FINE ADDITUR R. D. JOSUE DE COSTANZO
EJUSDEM DIOECESIS EXAMINATORIS PRO-SYNODALIS
TRACTATUS DE MONIALIBUS.

VOLUMEN III.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA TRAMATER
Juxta Ecclesiam S. Joannis Majoris n.° 30.
MDCCCXXXII.

TRACTATUS X.

DE SACRAMENTIS.

Si quæ sunt in theologico-morali scientia maximo studio ac solertia tractanda, optimo jure ea arbitramur esse, quæ in hoc tractatu traduntur. De Sacramentis agimus, quæ quodammodo incilia sunt, per quæ Christi Jesu Sanguis ejusque redemptionis meritum efficaciter nobis admovetur, atque gratia donatur; itaque a sordibus mundamur, perditasque animæ vires comparamus. De hac materia scribens, mens mihi non est tractatus exhibere scholasticis quæstionibus refertos; sed potius ea tantum seligere, quæ magis ad praxim scitu necessaria existimantur. Sit igitur

PARS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT I.

DE NOTIONE ET NATURA SACRAMENTORUM.

1. *Unde factum est verbum* Sacramentum?

Vel a *sacrando*, quia ad res sacras initiat seu consecrat; vel a *secreto*, quia rem arcanam continet.

2. *Quomodo definitur Sacramentum?*

Sacramentum, prout hic accipitur (*) rectius definitur *Sym-*

(*) Vox *Sacramentum* et apud profanos et ecclesiasticos scriptores multa significat. Apud Latinos significat pecuniam, quam litigantes in loco sacro, vel apud pon-

bolum seu Signum sensibile, sacrum, et permanens, a Christo Domino institutum ad significandam et producendam gratiam sanctificantem ex opere operato (*a* ι).

3. *Differtne a sacrificio?*

Differt maxime in hoc, quod sacrificium præcipue sit ad cultum Deo præstandum, et gratiam obtinet, non usu suo et applicatione, sed per modum impetrationis. Sacramentum vero ad hominem sanctificandum præcipue est institutum, et suo usu et applicatione gratiam confert.

4. *Sacramenta novæ legis an differant a veteris legis Sacramentis?*

Maxime in hoc, quod 1. illa figurabant, hæc continent et conferunt gratiam: 2. illa efficiebant ex opere operantis, hæc ex opere operato (*b**).

5. *Quid Sacramentalia, et utrum a Sacramentis differant?*

Sunt vel ritus religiosi ad decentem Sacramentorum administrationem statuti, vel actus quidam Religionis externi ad Deum colendum ab Ecclesia instituti. Dicuntur *Sacramentalia* ob quamdam similitudinem, quam cum Sacramentis habent. Attamen a Sacra-

---

tifices ea lege deponebant, ut victor suam pecuniam auferret, victus vero ærario relinqueret: item ipsam controversiam, pro qua pecunia deponebatur: significat quoque jusjurandum; idque quod jurejurando adfirmatum vel factum esset. Hinc jusjurandum, quo milites fidem adstringebant suam, *sacramentum militare*, ipsique milites *sacramentarii* dicebantur. Sed apud scriptores sacros et ecclesiasticos denotat rem arcanam et occultam, quam Græci μυστήριον dicunt, sive sit sacra, sive non: itemque quemlibet ritum sacrum, et generatim rem quamlibet, quæ mysticum et spiritualem exhibet sensum.

(*a*) *Ex Trid. sess. 13. cap. 3.*

(ι) Dicitur *signum*, quia aliud præter significat, idest gratiam sanctificantem: *sensibile*, quia sensibus patet: *sacrum*, idest cum actu religioso: *permanens*, quandiu durat nostra religio: *institutum*, quia non efficit, neque significat naturaliter, et tanquam causa principalis, sed ex institutione: *a Christo Domino*, qui est solus Sacramentorum Institutor: *ad significandam etc.* quia gratiam et denotant, et efficiunt: *ex opere operato*; nempe non vi operantis, idest ministrantis aut suscipientis; sed ex instituto et meritis Christi per se, tanquam per causam instrumentalem, vere et proprie vim habet et efficaciam ad producendam gratiam.

(*b*) *Ex decret. Eug. IV. edito 1439. Catechis. Rom. part. 2. num. 27. S. Thom. p. 3. q. 70. a. 4. in corp. et alibi, aliique communiter.*

(*) Habetur ex ipso Trid. sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cærimoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi; anathema sit.*

mentis distant; quia *remote* tantum et *ex opere operantis* valent sanctitatem producere, quidquid aliqui dicant (c 2).

6. *Quot sunt novæ legis Sacramenta?*

Sunt nec plura nec pauciora quam septem, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, et Matrimonium: et est de fide, uti constat ex Scripturis, ex perpetua traditione, ex Conciliis, et præsertim Trid. (d*)

7. *Quotuplicis sunt generis?*

Multiplicis: et 1. alia dicuntur *Mortuorum*, quæ nempe primam causant gratiam, ut Baptismus, et Pœnitentia; dicuntur *mortuorum*, quia homini spiritualiter *mortuo* ministrantur: alia *Vivorum*, quæ supponunt primam gratiam, ut sunt cetera; vocantur *vivorum*, quoniam animam gratia viventem supponunt, et postulant (3). 2. Alia dicuntur *Transeuntia*, quæ nullum imprimunt characterem: alia *Characteristica*, seu characterem imprimentia. 3. Alia sunt de necessitate medii, saltem in voto implicito; ut Baptismus, et Pœnitentia lapsis post Baptismum: alia tantum de necessitate præcepti. 4. Demum sunt vel *Formata*, cum de facto conferunt gratiam: vel *Informia*, idest sine gratia ob obicem in suscipiente.

8. *Quænam necessaria sunt ad habendum novæ legis Sacramentum?*

Tria: signum sensibile, institutio divina, et gratiæ sanctificantis largitio.

9. *Quisnam est Sacramentorum auctor?*

Solus Dominus Jesus: quod est de fide, uti constat ex Scriptu-

---

(c) *D. Thom. 3. p. q. 87. a. 3.*

(2) Reliqua de Sacramentalibus dicta sunt in IV. tract. num. 22. et sequent.

(d*) *Sess. 7. can. 1.* Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis . . esse plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium: aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum: anathema sit.

(3) Sacramenta mortuorum aliquando per accidens secundam gratiam præbent; puta si quis suscipiat Sacramentum Pœnitentiæ contritione perfecta, aut pro venialibus, vel pro mortalibus alias rite absolutis. Contra ex communi cum D. Thom. p. 3. q. 79. a. 3. in corp. et alibi, Sacramenta vivorum aliquando per accidens primam gratiam conferre possunt, scilicet cum quis putans non esse in statu lethali, vel existimans se esse contritum cum attritione ad Sacramentum accedit.

Dicitur gratia *prima* illa, quæ justificat impium: *secunda* vero est augmentum primæ.

ris, traditione, et Trid. (c*4): et ratio theologica est, quod Deus tantum potest signis sensibilibus tribuere virtutem et efficaciam gratiam conferendi.

10. Ex quibus constare debet signum sensibile?

Ex rebus et verbis, seu ex materia et forma (*f*).

11. Quid et quotuplex materia?

Materia est aliqua res sensibilis per externam ministrationem suscipienti applicata. Duplex est, remota, et proxima: illa est res sensibilis quæ in sacramento adhibetur, ut aqua, oleum etc. hæc vero est applicatio ipsius materiæ remotæ, ut ablutio, unctio etc.

12. Quid forma?

Sunt certa verba, quibus materia ad sacrum usum determinatur.

13. An mutatio materiæ vel formæ irritet Sacramentum?

Mutatio substantialis semper irritat; quia amplius non est materia vel forma a Christo instituta: accidentalis vero non irritat, ex contraria ratione.

14. Quænam mutatio dicitur substantialis, et quænam accidentalis?

Mutatio substantialis materiæ est, cum ex communi existimatione et usu non amplius habetur materia a Christo instituta; uti si adhiberetur in Baptismo vinum pro aqua: formæ substantialis mutatio est, cum non amplius habetur idem sensus; sicuti si quis in baptismo diceret: *Ego te adjuvo*. Accidentalis vero est, quæ non mutat substantiam materiæ, nec destruit formæ sensum: v. c. si quis adhiberet in baptismo aquam calidam, vel non benedictam; aut diceret *Ego te lavo* etc. (5)

(c*) *Cit. sess. et can.* Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta . . . anathema sit.

(4) Ex meliori sententia Christus etiam qua Homo Sacramenta instituit, potestate *Excellentiæ* ipsi collata, ratione unionis Humanitatis cum Verbo.

Certum est, etsi non de fide, Christum immediate instituisse omnia Sacramenta. Et probabilius affirmatur omnes materias, et quoad substantiam etiam omnes formas in specie fuisse ab ipso determinatas, *S. Thom. 3. p. q. 60. a. 5. in corp. et alibi, cum aliis plurimis.*

(*f*) *D. August. tract. 80. in Joan. relatus in can.* Detrahe 54. *caus. 1. q. 1. dicens:* Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.

(5) Ex communi Theologorum sex modis contingere potest formæ mutatio: scilicet additione; detractione alicujus vocis; positione unius vocis loco alterius; corru-

15. Estne validum Sacramentum, si minister errat circa termini sacramentalis significationem?

Inter varias DD. opiniones probabilius sic erit distinguendum: Si error, sive sit contra fidem sive non, est tantum internus, validum est Sacramentum; non enim ab scientia ministri Sacramentum pendet, neque in casu externus vitiatur ritus. Si vero externatur error, validum non est Sacramentum, si ob hoc substantialiter vitiatur externus ritus; secus, si accidentaliter tantum (*g*).

16. Quot admittit peccata, qui materiam vel formam mutat?

Qui mutat substantialiter peccat 1. contra religionem ob injuriam Sacramento illatam: 2. contra caritatem, proximum privans magno bono spirituali: 3. contra justitiam, si ex officio tenetur Sacramentum administrare. Qui vero accidentaliter mutat, peccat graviter contra Sacramenti reverentiam et Ecclesiæ prohibitionem, si mutatio sit notabilis, et absque necessitate: in necessitate vero non peccat: absque necessitate venialiter tantum peccat, si non sit notabilis mutatio (*h* 6).

17. Licetne uti materia dubia?

Licet in extrema necessitate, si certa nequit haberi: secus non licet (7).

18. An liceat repetere formam supra eandem materiam?

Nequaquam; gravis enim injuria Sacramento irrogaretur. Excipitur, si rationabile adesset dubium de validitate formæ jam prolatæ; tunc enim potest forma repeti sub conditione, ne Sacramentum maneat irritum.

19. Quænam conjunctio requiritur materiam inter et formam?

Etsi nonnulli admittant illam sufficere conjunctionem, ut sta-

---

ptione alicujus vocis, detrahendo vel mutando aliquam syllabam; transpositione; et interruptione. In dictis modis mutatio substantialis erit, si sensus destruatur a Christo intentus et institutus: aliter erit accidentalis.

Quænam autem sit in singulorum Sacramentorum materia et forma substantialis vel accidentalis mutatio, infra dicetur, ubi de singulis Sacramentis agetur.

(*g*) *D. August. lib. 4. de Baptism. cap. 15.* (*h*) *Trid. sess. 7. can. 13.*

(6) Illa accidentalis mutatio dicitur notabilis, quæ omnibus inspectis gravem continet deordinationem: puta, si quis in Ecclesia Latina uteretur pane fermentato in Eucharistia, aut forma Græcorum in Baptismo: vel in consecratione calicis omitteret illa verba *novi et æterni testamenti* etc. vel non admisceret parum aquæ vino consecrando etc.

(7) Relege dicta in II. tract. num. 28. et sequent.

tim post materiæ applicationem proferatur forma, et contra; tamen ex communi, et ad tutius agendum ea requiritur conjunctio, ut forma incipiatur priusquam perficiatur materiæ applicatio, vel e converso. At in Eucharistia habenda est simultas physica; alias non verificaretur pronomen demonstrativum *hoc* et *hic*. Contra in Pœnitentia sufficit simultas moralis, ut dicemus in XI. tract. num. 45. Et in matrimonio ea distantia satis est, ut consensus unius ponatur, dum adhuc moraliter perseverat consensus alterius.

20. *Est ne validum et licitum Sacramentum sub conditione datum?*

Si conditio est de præterito, vel de præsenti, validum est Sacramentum, modo conditio sit vera; et contra. Et est etiam licitum, (quidquid aliqui dicant de Sacramentis transeuntibus) justa accedente caussa, necessitatis nempe, vel gravis utilitatis (*). Dixi *justa accedente causa;* aliter esset mortaliter illicitum (contra aliquos); ob injuriam Sacramenti. Si vero conditio sit de futuro, nullum est Sacramentum; in actu, quia deficit intentio; adveniente conditione, quia non amplius habetur materia et forma. Quare semper est mortaliter illicitum.

CAPUT II.

DE SACRAMENTORUM EFFECTIBUS.

21. *Quinam sunt Sacramentorum novæ legis effectus?*

Duo præcipue; quorum unus omnibus communis est gratia; alter aliquorum peculiaris est character.

22. *Estne certum Sacramenta gratiam conferre?*

Est de fide Sacramenta non ponentibus obicem gratiam conferre non solum sanctificantem, sed specialem quoque, idest pro-

(*) E. C. Si prudenter dubitatur de dato baptismo; an sit data, vel fuerit valida absolutio; utrum sit adhuc vivus, vel mortuus recipiens. Juxta aliquos sic potest absolvi puer, aut semifatuus, de quorum peccato vel dispositione dubitatur; aut quando Confessarius dubiam habet jurisdictionem, modo adsit aliqua necessitas absolvendi. Item si adsit necessitas contrahendi matrimonium.

In casu conditio non est necessario verbis exprimenda; sed sufficit ut sit mente apposita.

priam et peculiarem uniuscujusque Sacramenti, quam Theologi *Sacramentalem* appellant (*8*): quod constat ex Scripturis, traditione, Conciliis, et præsertim Trid. (*i* *) ·

23. *Sacramenta gratiam conferunt* ex opere operato, *an* ex opere operantis?

Ex opere operato; uti habetur ex Scriptura, et traditione, et est a Trid. definitum (*k* **).

24. *Quid est Character?*

Est signum quoddam spirituale et indelebile animæ impressum (*l* *9*).

25. *Quænam Sacramenta characterem conferunt?*

Tria tantum, Baptismus nempe, Confirmatio, et Ordo: uti constat ex Scripturis, et traditione, estque a Trid. definitum (*m****).

26. *Quinam sunt characteris effectus?*

Duo: distinguit nempe fidelem ab aliis, et ad quædam divini cultus munia idoneum reddit.

(*8*) Quid sit gratia, ejus natura, species etc. fas est videri apud Dogmaticos. Quænam vero sit gratia sacramentalis cujusque Sacramenti, propriis locis dicetur.

(*i* *) *Sess. 7. can. 6.* Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre . . . anathema sit: *et can. 7.* Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus: anathema sit.

(*k* **) *Sess, cit. can, 8.* Si quis dixerit per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit

(*l*) *Trid. sess. cit. can. 9.*

(*9*) Cujus naturæ sit Character iste, Theologi disputant: verosimilius est, esse quandam qualitatem, ab animæ tamen substantia non distinctam.

Character est indelebilis in hac vita, *Trid. loc. cit.* quare Sacramenta characterem imprimentia iterari non possunt, *ibid.* Verosimilius est etiam post hanc vitam permanere, *D. Thom. 3. p. q. 63. a. 5.*

(*m****) *Cit. sess. can. 9.* Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt: anathema sit.

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

27. *Quinam sunt Sacramentorum Ministri?*

Ordinarii Sacramentorum ministri sunt soli homines viatores: at non omnes, licet Christiani; sed ii tantum quibus id munus divina et ecclesiastica auctoritate competit: dogma est fidei, quod patet ex Scripturis et traditione, et est a Trid. declaratum (n*).

28. *Quænam requiruntur in ministro, ut valide et licite perficiat Sacramentum?*

Ad validitatem requiritur potestas, et intentio: ad licitatem vero fides, et probitas (o).

29. *Quid, et quotuplex intentio?*

Est deliberata voluntas id, quod agimus, conficiendi (10). Multiplex esse potest: et 1.° ratione modi seu status ipsius ministri esse potest actualis, virtualis, habitualis, et interpretativa: actualis est præsens deliberata voluntas, cum attentione conjuncta: virtualis est intentio, non quidem præsens, sed quæ ante præcessit, et virtute in effectibus suis durat: habitualis est facilitas ex habitu acquisito proveniens, quam nulla præcessit intentio, vel si præcesserit, jam est moraliter interrupta: interpretativa dicitur, quæ modo non est, nec antea fuit, sed adesset, si agens ad id, quod agit, attenderet. 2.° Ratione objecti etiam quadruplex esse potest: vel exhibendi actionem externam indifferentem et profanam; vel exhibendi ritum in Ecclesia sacrum, seu faciendi quod facit Ecclesia, licet minister non credat esse Sacramentum; vel conficiendi Sacramentum, etsi erret circa effectus; vel denique conficien-

---

(n*) *Sess. cit. can. 10.* Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem: anathema sit.

Infra dicetur, quinam sint singulorum Sacramentorum ministri.

(o) *Ex variis locis Trid.*

(10) Hinc differt ab attentione, quæ est actus intellectus, quo homo id, quod agit, considerat.

di Sacramentum ut caussam effectuum, quos per Sacramentum producere intendit.

30. *Quænam intentio ratione modi in ministro requiritur?*

Actualis optima est, sed non necessaria; cum non sit totaliter posita in hominis potestate. Sufficit virtualis; per hanc enim quis vere operatur modo humano, cum sit talis intentio vera actionis caussa (*p*). Habitualis, et eo minus interpretativa, minime sufficit; nam non habetur per illam actio deliberata et humana (11).

31. *Quænam intentio requiritur ratione objecti?*

Ad validitatem requiritur saltem intentio exhibendi ritum in Ecclesia sacrum, seu faciendi quod facit Ecclesia; ut præ ceteris definivit Conc. Trid. (*q**12). Ad licititatem vero habenda est intentio saltem implicita et confusa conficiendi Sacramentum, perque illud Sacramentales effectus operandi.

32. *Requiriturne fides et probitas in ministro?*

Ad valorem Sacramenti minime requiruntur, et est de fide quoad probitatem in omnibus Sacramentis, et quoad fidem in Baptismo, uti habetur ex Trid. (*r***); nam ex opere operato, non

---

(*p*) *D. Thom. 3. p. q. 64. a. 8. ad 3. et alii omnes.*

(11) Non tamen opus est, ut minister ore vel corde reflexe dicat intendere conficere Sacramentum; sed sufficit ut sit animo præsens, et actiones ponat ad Sacramentum requisitas, modo positive non excludat debitam intentionem.

Sufficit etiam intentio coacta, sive metu extorta: et error circa personam suscipientis non invalidat Sacramentum: in utroque casu excipitur matrimonium per illos, qui volunt contrahentes esse ministros.

(*q**) *Loc. cit. can. 11.* Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt, et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia: anathema sit: *et sess. 14. can. 9.*

(12) Non requiritur ergo ad Sacramenti valorem intentio explicita conficiendi Sacramentum, aut producendi effectum Sacramenti, *D. Thom. in 4. dist. 6. q. 1. a. 2. q. 1. et alii omnes.*

Juxta nonnullos invalidum est Sacramentum, si minister positivam habeat contrariam intentionem non conferendi Sacramentum. At omnino nullum erit Sacramentum, si minister mime, aut repræsentative, aut joco externum ponat ritum, *Trid. cit. sess. 14. can. 9.*

(*r***) *Sess. 7. can. 12.* Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum: anathema sit: *et ibid. de Baptismo. can. 4.* Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum: anathema sit.

ex opere operantis Sacramenta suam repetunt efficaciam: quoad fidem in reliquis Sacramentis est certum, (licet non de fide) ex pari ratione, et ex communi Patrum doctrina. Ad licititatem vero requiruntur.

33. *Quænam probitas desideratur in ministro?*

Saltem ut sit a lethali culpa immunis dum Sacramentum ministrat.

34. *Peccat graviter, an leviter in lethali ministrans?*

Qui extra necessitatem conficit vel ministrat in mortali, mortaliter peccat: ita communiter, quidquid aliqui somnient (s): et sacrilegium committit; quoniam indigne tractat res tam sacras: quapropter ita ministrans eo ipso quo aliis prodest, seipsum damnat. Idque ex eadem ratione juxta probabiliorem sententiam intelligendum est etiam de eo, qui non est ad Sacramentum specialiter ordinatus: uti esset laicus in Baptismo, et secundum aliquos ipsi contrahentes in matrimonio. Dixi *extra necessitatem*; nam in necessitate aliqui eum excusant: dixi *aliqui etc.* quia in casu tenetur iste contritionis elicere actum, quantum potest (✻).

35. *Teneturne lethali culpa maculatus extra casum necessitatis præmittere Confessionem, an sufficit per solam contritionem se disponere?*

In confectione Eucharistiæ certum est non sufficere solam contritionem, sed præmittendam esse Confessionem; sicut habetur ex

(s) *D. August. lib. 2. cont. Parmen. cap. 10. D. Thom. 3. p. q. 64. a. 6. ceterique omnes.*

(✻) Probabilius mortaliter peccat 1. Sacerdos aut Diaconus in mortali Eucharistiam ministrans: 2. qui in mortali existens Eucharistiam ex officio tangit immediate, vel mediate, puta gestando, populum benedicendo etc.

Quæstio est utrum graviter peccet qui alias sacras functiones in mortali ex officio exercet: ut sunt Diaconi, et Subdiaconi altari ministrantes; Episcopi Chrisma, et Oleum Sanctum conficientes etc.

Ex communissima et probabiliori sententia non peccant graviter Episcopus vel Sacerdos in mortali consecrans vel benedicens templum, vestes sacras, corporalia, cineres, aquam lustralem, matrimonio assistens etc. concionantes etc.

Ex dictis patet celebrantem in mortali quatuor committere sacrilegia, quia 1. conficit Sacramentum, 2. suscipit, 3. sibi indigno ministrat, 4. aliis indigne ministrat. Item duo committunt sacrilegia qui matrimonium in mortali contrahunt: 1. quia Sacramentum suscipiunt; 2. quia ministrant, si simus de eorum sententia, qui ipsos contrahentes volunt esse ministros.

Trid. sess. 13. cap. 7. Quoad alia vero Sacramenta quæstio est: alii volunt confessionem præmittendam, ex eodem motivo Trid. et ex eo quod sine confessione moralis non habetur certitudo de propria justificatione: alii vero negant, et forte probabilius, uti eruitur ex Rit. Rom. de Sacr. in genere; tum quia nullum de hoc adest divinum, neque ecclesiasticum præceptum; tum quia satis est, ut minister moralem adhibeat diligentiam ad se per contritionem justificandum.

36. Licetne administrare Sacramenta indigno ?

Indigno occulte petenti sub gravi negandum est Sacramentum, sive occultum, sive publicum sit ejus crimen; ne ita minister ejus cooperetur peccato: idque est a Christo præceptum, cum inquit (*t 13*) *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*. Excipe tamen si crimen ex Confessione sit cognitum. Indigno publice petenti ex eadem ratione negandum est Sacramentum, si ejus crimen sit notorium: si autem occultum sit ejus crimen, tunc ad vitanda scandala, aliaque gravissima incommoda, quæ alias evenirent, licet indigno Sacramentum dari (*u 14*).

37. Estne licitum Sacramentum simulare ?

Nunquam est licitum, ne mortis quidem metu, semper enim est intrinsece malum, et Sacramento perquam injuriosum, illud fru-

---

(*t*) *Matth.* 7. 6.

(*13*) Immo in quibusdam Sacramentis tenetur minister prudentem habere rationem, quod suscipiens sit dignus et dispositus: uti est in Baptismo, Pœnitentia, Ordine: et in Matrimonio Parochus tenetur inquirere super. impedimentis. In aliis vero Sacramentis, quidquid aliquis dicat, non sunt ea deneganda, nisi constet de indignitate petentis.

(*u*) Ita omnes cum D. Thom. 3. p. q. 80. a. 6. et eruitur ex can. *Placuit* 3. caus. 6. q. 2. et cap. *Si Sacerdos* 2. de offic. jud. ord.

(*14*) Denegandum est Sacramentum publico indigno, etiamsi aliquibus ex adstantibus sit crimen occultum. Contra probabilius non est denegandum, 1. si plerisque tantum, non vero omnibus adstantibus sit notum crimen: 2. in eo loco, ubi crimen est occultum, licet sit publicum in alio loco.

In dubio de crimine, vel de emendatione, si crimen est certum, et pœnitentia dubia, denegandum est Sacramentum; si autem dubitatur de crimine, non potest Sacramentum negari.

Quæstio est, an possit minister ob metum mortis indigno Sacramentum dare.

An possit quis Sacramentum petere a ministro indigno, censurato etc. dictum est in tract. IV. num. 96. et subjecta nota (*), et in tract. V. num. 43. et in num. 44. ejusdem tract. dictum est utrum liceat Sacramentum censurato ministrare.

strare: in contrarium habetur prop. 29. ab Innoc. XI. damnata (* 15 ✻).

38. Peccatne minister in solemni Sacramentorum administratione non servans ritus accidentales ab Ecclesia præscriptos ?

Utique, et quidem graviter vel leviter, prout erit omissio: sicuti est a Trid. declaratum (*x* **).

CAPUT IV.

DE SUSCIPIENTE SACRAMENTUM.

39. *Quinam sunt subjecti Sacramentorum capaces ?*

Soli homines viatores; ipsi enim tantum sunt primæ gratiæ, ejusve augumenti capaces, et pro ipsis tantum passus est Christus.

40. *Quid in suscipiente requiritur ad valide Sacramenta recipienda ?*

Requiritur 1. in adultis aliqua intentio Sacramentum recipiendi; sicuti habetur ex variis Conciliis, Rituali Romano, et communi Theologorum sensu (*y*). Dixi *in adultis*; quia in infantibus

(*) Quæ ajebat: *Urgens metus gravis est causa Sacramenti administrationem simulandi.*

(15 ✻) Idem est de eo, qui simulat suscipere.

Habetur vera simulatio, quando materia vel forma adhibetur cum intentione non conficiendi verum ritum sacrum, seu Sacramentum: uti esset proferre intentione non consecrandi verba consecrationis supra panem vel vinum; proferre absolutionem super pœnitentem animo non absolvendi. Item dicendum, si quis in Missa non consecraret; si quis Hostiam non consecratam pro consecrata præberet etc.

Contra licitum est Confessario aliquid super indispositum orare, dare Crucem, ne ejus indispositio prodatur: ex conventione ad infamiam vel scandalum vitandum super indisposito dicere: *Corpus Domini nostri etc.* et Hostiam non præbere. At probabilius non licet in casu hostiam non consecratam præbere; quia tunc adorationi exponeretur panis: sed posset aliquando huic provideri habendo in patena etc. cum non consecrata particulas consecratas etc. Non est illicitum, saltem sub gravi, ob metum gravem matrimonium simulare; tunc enim deest materia, idest verus consensus. Item nolens confiteri potest ingredi confessionale, genuflectere, Confessarium alloqui etc.

(*x* **) *Sess 7. can. 13.* Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum Pastorem mutari posse: anathema sit.

(*y*) *Ex Conc. Carthag. IV. can. 34. Arausic. I. can. 12. Aurelian. III. can. 7. In-*

(et idem est de perpetuo amentibus) nulla habenda est intentio, cum suppleat in eis intentio Christi, vel Ecclesiæ: nam sicuti sine propria voluntate ipsi gratiam amiserunt, ita sine propria voluntate eam recuperant: quod est de fide quoad Baptismum, prout definivit Trid. (z*) et communiter extenditur ad Confirmationem, Ordinem etc. (*a*) 2. Requiritur prævia Baptismi susceptio ad alia Sacramenta valide recipienda: id est apud omnes certum; nam pro sola Ecclesia sunt Sacramenta instituta, et nonnisi per Baptismum fiunt homines de corpore Ecclesiæ (16).

41. Qualis debet esse hujusmodi intentio in adultis requisita?

Sufficit habitualis, idest aliquando habita, et non retractata; sic constat ex universali Ecclesiæ praxi, et generali consensu (*b* 17). Immo aliquando sufficit ipsa interpretativa: idque probatur ex Rituali Romano pro extrema Unctione, et DD. ad Confirmationem communiter extendunt. Sed in Pœnitentia, et Matrimonio habenda est intentio saltem virtualis, cum ista Sacramenta actus subjecti requirant saltem moraliter præsentes.

42. Quid requiritur ad licite et cum fructu Sacramenta recipienda?

Præter speciales dispositiones, quæ in unoquoque Sacramento sunt habendæ, ad Sacramenta mortuorum requiritur dispositio Fidei, et Spei saltem virtualis (18): ad reliqua vero Sacra-

---

noc. III. in cap. Majores *3. de Bapt. etc. Rit. Rom. D. Thom. 3. p. q. 68. a. 7. Ben. XIV. instruct.* Postremo meuse *de Bapt. et alii DD. generaliter.*

(z*) *Sess. cit. de Baptismo can. 13.* Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ: anathema sit.

(*a*) Vide D. Thom. 3. p. q. 68. a. 9. et 12. Salm. de Confess. c. 3. num. 26. Lugonem D. 9. n. 112. Bened. XIV. in bulla *Inter sollicitas* edita 4. Maji 1745.

(16) Prædictæ conditiones non requiruntur ad valide Eucharistiam sumendam, cum sit Sacramentum permanens.

(*b*) Lege sis Ben. XIV. in præd. instruct. num. 46.

(17) Idem, quidquid aliqui opinentur, tenendum est de dormientibus, ebriis, in amentiam lapsis, qui ante habuerunt intentionem suscipiendi Sacramenta.

Prædicta intentio in suscipiente quoad objectum eadem sufficit, ac in ministro, nempe velle ritum illum recipere, quem Ecclesia celebrat uti sacrum, *ex.cit. cap.* Majores.

(18) An in baptizando aliqua requiratur pœnitentia, et an sola sufficiat attritio pro Sacramento Pænitentiæ absque dilectionis initio, dicetur in sequenti tract. num. 12. et 39.

menta, quæ dicuntur vivorum, status gratiæ (19). Denique ut ad rectum finem suscipiantur Sacramenta.

43. Sufficitne contritio, si suscipiens Sacramenta vivorum sit lethali peccato maculatus, an vero præmittenda sit confessio et absolutio?

Ad Eucharistiam præmittenda est confessio et absolutio ex speciali præcepto (c). Pro aliis Sacramentis vivorum quæstio est, ut dictum est de ministro num. 35.

44. Quale peccatum est Sacramentum vivorum suscipere cum mortali culpa?

Utique grave, ob gravem injuriam ipsi Sacramento allatam: et est gravius, quàm illud indigne ministrare aut conficere.

45. Quisnam finis est intendendus in Sacramentorum susceptione?

Idem finis, ob quem fuerunt instituta; scilicet sanctificatio, aliique sacramentales fructus.

46. Cujus generis peccatum admittit qui alio fine Sacramenta recipit?

Qui fine in se illicito illa recipit, graviter quidem peccat et sacrilege; quoniam re tam sacra abutitur, eam ad peccatum dirigendo: qui fine alicujus temporalis emolumenti illa recipit, committit simoniam: qui vero alio fine in se indifferenti Sacramenta suscipit, sentio etiam graviter peccare, si hujusmodi finis sit sola causa susceptionis; e. c. si quis tantum ad sedandam sitim sumeret calicem; gravis enim quoque mihi videtur injuria ad hoc Sacramenta dirigere. Secus vero dicerem esse veniale, si finis indifferens comitetur tantum susceptionem; puta, si quis recto fine sumturus calicem, simul etiam intenderet sitim levare (20).

(19) Cum sit probabile Sacramenta vivorum aliquando per accidens primam gratiam conferre, probabile quoque est posse moribundum cum attritione recipere extremam Unctionem, aut Eucharistiam, si desit Sacerdos qui eum absolvat. In casu probabiliter quoque potest laicus isti moribundo Viaticum ministrare.

(c) *Trid sess. 13. cap. 7.*

(20) Idem dicendum de eo, qui alio fine Sacramenta ministrat.

Hæc non omnia sunt pro Matrimonio applicanda; in eo enim primario intenditur contractus et civilis status.

PARS II.

DE NONNULLIS SACRAMENTIS IN SPECIE.

CAPUT I.

DE BAPTISMO.

47. *Quid est Baptismus?* (*)

Est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo (*d*), seu Sacramentum novæ legis ad spiritualem regenerationem a Christo institutum.

48. *Quotuplex esse potest?*

Triplex, scilicet *Fluminis*, *Flaminis*, et *Sanguinis*: primus est superius definitus, de quo hic agitur: alter est perfecta conversio ad Deum per contritionem, vel amorem Dei super omnia, cum voto seu desiderio suscipiendi Baptismi Sacramentum: tertius est martyrium pro Christi fide perpessum, supplens defectum Baptismi (*e* 21).

49. *Quandonam fuit hoc Sacramentum institutum?*

Non convenit inter doctos: alii volunt fuisse institutum post resurrectionem, cum Apostoli ad baptizandum fuerunt missi, *Matth.* 28. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* alii, quando Christus Nicodemo exposuit Baptismi necessitatem, *Joan.* 3. 3. *Nisi quis renatus fuerit etc.* alii, cum Christus ante mortem Apostolos per civitates Judæ ad prædicandum misit, *Matth.* 10. *Marc.* 3. *Luc.* 9. alii denique verosimilius, cum in Jordane a Joanne fuit baptizatus.

50. *Quænam est hujus Sacramenti materia?*

Materia remota est aqua naturalis et elementaris: est de fide,

---

(*) Factum est hoc nomen a βάπτω, immergo; quod si verbum verbo reddis, immersionem denotat. Vocatur quoque a sua materia *Lavacrum aquæ*, *Ephes.* 5. 26. a sua forma *Sacramentum fidei*, *Trid. sess.* 6. *cap.* 7; a suis effectibus *Lavacrum regenerationis et renovationis*, *Tit.* 3. 5.

(*d*) *Ex Apostolo Tit.* 3. *et Ephes.* 5.

(*e*) *Can.* Baptismi vicem 34. *dist.* 4. *de consecrat. Trid. sess.* 6. *cap.* 4. *et alibi.*

(21) Nota duos ultimos Baptismos justificare, at non imprimere characterem: et Baptismum flaminis non semper remittere totam pœnam temporalem.

ut constat ex Evangelio, Act. Apost. perpetua traditione, atque fuit a Trid. definitum (*f** ✱). Materia vero proxima est ipsius aquæ applicatio, nempe ablutio.

51. Aqua debetne esse benedicta?

Maxime, sed tantum ad liceitatem, ita ut graviter peccet qui in solemni Baptismo utitur aqua non benedicta: ita communiter. Excipe, si haberi nequeat aqua benedicta.

52. Quot modis potest ablutio fieri?

Tribus modis, immersione nempe, infusione, et aspersione.

53. Quinam de prædictis modus est servandus?

Ad validitatem quicumque sufficit, modo vera et sufficiens habeatur ablutio; Christus enim ablutionem, non abluendi modum præscripsit: dogma est fidei ex perpetua et universali traditione constans. Ad liccitatem vero propriæ Ecclesiæ usus sub gravi est servandus; nisi urgeat necessitas.

54. Quandonam vera et sufficiens habetur ablutio?

Quando tanta aquæ copia corpus baptizandi tactu physico perfunditur, ut communi existimatione dici possit ablutum (22 ✱✱).

(*f**) *Sess. 7. de Bapt. can.* 2. Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi: anathema sit.

(✱) Certum est, quod sit materia valida 1. aqua fontium, puteorum, maris, fluminum, lacuum, stagnorum, cisternarum, pluvialis; et quæcumque simplex et pura, quæ propriam aquæ speciem retineat; nec refert frigida sit an calida: 2. aqua resoluta ex nive, glacie, grandine etc. 3. ros, aqua collecta ex vaporibus densatis, vel defluens ex pariete, foliis etc. in tempore nimboso: 4. aqua mineralis, aut mixta cum alia re, modo aqua sit materia prædominans: 5. aqua venenata, aut fervens, unde infans necetur.

Probabilius sunt materia apta aquæ distillatæ cum floribus.

Materia certe invalida sunt sanguis, lac, vinum, oleum, urina, pituita, succus ex floribus, herbis, radicibus etc. expressus.

Probabilius inepta materia sunt saliva, sudor, lacrymæ.

Sunt autem materia dubia jus, lixivium, aqua ex sale soluto, lutum, tenuis cerevisia, tenue atramentum ex aqua confectum, aqua per artem chimicam ex floribus, herbis etc. educta, aqua fluens ex vite, arboribus etc. glacies aut nix non soluta.

(22) Nota formam et ablutionem præstandam esse ab uno eodemque ministro, ut valeat Baptismus. Sic non valet, si ipse baptizandus in aquam se immergat etc.

(✱✱) Ex dictis non valet Baptismus 1. si abluatur corpus matris, puero in eo extante: 2. si aqua vestes tantum tangat.

Probabilius valet Baptismus, si abluatur caput tantum extra matris uterum editum, *Rit. Rom. de Baptismo.*

Quæstio est utrum valeat Baptisma 1. si quis in flumen vel puteum infantem

55. Num sit necesse totum corpus ablui?

Minime; nam sufficit, si caput abluatur, in quo omnes vigent hominis sensus (*g* 23).

56. Debetne ablutio esse trina?

Nequaquam ad validitatem; ita omnes cum D. Thoma: at esset peccatum, et probabilius mortale, hunc ritum omittere absque necessitate; quia esset materia satis gravis, ex eodem Doctore (*h*), et Rituali Rom.

57. Quænam est forma Baptismi?

Apud Latinos est: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Apud Græcos vero: *Baptizatur servus Christi N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti:* uti constat ex Evangelio, et perpetua traditione (* *i*).

58. Suntne hujusmodi verba de essentia Baptismi?

Maxime; uti constat ex verbis Evangelii, ex perpetua traditione, et ex prop. ab Alex. VIII. proscripta: nam ex generali sententia ad valorem Baptismi requiritur, ut exprimatur 1. persona baptizans saltem implicite, 2. actus baptizandi, 3. persona baptizanda, 4. Unitas et distincta divinarum Personarum Trinitas: quæ omnia non haberentur absque verbis præfatis (** *24* ✠).

---

projiciat, et formam pronuntiet; at eum non emergat: 2. si puerum aquæ ab aliquo loco defluenti submittat etc. 3. si puer in utero matris, nulla ejus parte in lucem prodita, per instrumentum aqua tingitur: 4. si crines tantum sint abluti: 5. si in alia parte principali, quam in capite, puta in scapulis, humeris, vel pectore sit Baptismus collatus: 6. si infans baptizetur adhuc in secundina involutus.

Probabilius non valet Baptismus 1. si una aut altera adhibeatur aquæ gutta: 2. si pars minus principalis abluatur, puta manus, pes etc.

(*g*) *D. Thom. 3. p. q. 68. a. 11. ad 4. et Rit. Rom. loc. cit.*

(23) Vide dicta in præcedenti adnotatione (✠✠).

(*h*) *Q. 66. a. 8. et ex can.* De trina *80. dist. 4. de consecrat.*

(**i*) Sunt verba Christi apud Matth. 28. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti:* et ita est definitum in Conc. Lateran. relat. in cap. *Firmiter* 1. de summa Trinitate §. 4. et Trid. sess. 7. de bapt. can. 4.

(**) Patet veritas ex Græcorum Euchologiis, et Latinorum Sacramentariis: ex Aug. variis locis de Bapt. ex auctoritate Alex. III. in cap. *Si quis* 1. de Bapt. etc. ex consensu omnium PP.

Propositio ab Alex. VIII. proscripta die 7. Decemb. 1690. sic se habet: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus:* In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, *prætermissis illis:* ego te baptizo.

(*24* ✠) Ex dictis num. 14. nota (5) multipliciter potest forma mutari: et ex re-

59. *Quinam sunt Baptismi effectus ?*

Tres præcipui numerantur a Theologis, scilicet gratiæ infusio in non ponentem obicem, characteris impressio, et spiritualis cognatio: sic constat ex Scripturis, perpetua traditione, et Trid. definitione (k* 25).

60. *Quinam sunt effectus seu fructus baptismalis gratiæ ?*

Sunt 1. remissio seu deletio non solum peccati originalis, sed etiam omnium personalium ante Baptismum commissorum: 2. remissio omnis pœnæ, quæ tamen in altera vita deberetur,

---

gula ibi definita valet Sacramentum, si mutatio sit accidentalis; contra, si sit substantialis. Hic notatur accidentalem esse mutationem 1. si mutetur idioma, aut pluribus idiomatibus quis utatur: 2. si pro *baptizo* substituatur synonymum, puta *lavo*, *abluo*, *intingo* etc. quidquid aliqui dicant: 3. si ob balbutiem vel præcipitantiam non recte pronuntientur verba: 4. si verbis transpositis idem habeatur sensus; v. c. *baptizo te ego* etc. aut *in nomine Filii, et Patris etc.* (contra aliquos): 5. si dicatur *in nomine Dei Patris omnipotentis, et Filii unigeniti etc.* aut *in nomine Patris, qui te creavit etc.* 6. si omittatur verbum *Ego*, aut *Amen* etc.

Probabilius est accidentalis mutatio 1. si pro *Spiritus Sancti* dicatur *Spiritus Paracliti*: 2. si dicatur *in nomine Patris, in nomine Filii etc.* aut *Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii etc.* 3. si omittatur propositio *in*.

Quæstio est, utrum accidentalis, vel substantialis sit mutatio 1. si dicatur *in nomine Genitoris, et Geniti, et Procedentis ab utroque*: 2. si pro *Filii* dicatur *Jesu Christi*: 3. si omittatur conjunctio *et*; quæ omnino est exprimenda ante *Spiritus Sancti*.

Substantialis est mutatio 1. si quis dicat *in nominibus Patris etc.* 2. si adderet nomen B. Virginis, mente hæretica, volens significare Baptismum conferre in nomine B. Virginis; secus si hoc fiat ob importunam devotionem: 3. si omittatur verbum *te*, etc.

Probabilius est substantialis, si dicatur *in virtute Patris etc.* vel *in nomine Sanctissimæ Trinitatis*; vel *in nomine Unius et Trini*, vel *in nomine trium personarum*, sed valerent prædictæ formulæ, si postea addatur distincta invocatio Personarum; e. g. *in nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, et Filii etc.* Sicque invalidus est Baptismus tantum *in nomine Christi* collatus.

Facilius inducitur mutatio substantialis, si habetur corruptio initio vocis, v. g. si pro *Patris* dicatur *Matris*, quam in fine, v. g. *in nomine Patria, et Filia etc.*

(k* 25) Quoad gratiam patet ex Joan. 3. 3. et sequent. Actor. 22. 16. 1. Cor. 6. 11. Rom. 8. 1. Ephes. 5. 26. Tit. 3. 5. etc. Symbolo Constantinopolitano, ubi confitemur *unum Baptisma in remissionem peccatorum*; ex generali PP. consensu; et Trid. sess. 5. can. 5. *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et proprium peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit etc.* De charactere dictum est num. 21. 24. 25. et 26. Tertius effectus nempe Cognatio Spiritualis potius est ex Ecclesiæ institutione. Quid ipsa sit, ejus effectus etc. dicetur in §. 3. sect. 3. cap. 3. tract. XIII.

sive æternæ, sive temporalis: 3. regeneratio in vitam spiritualem: 4. adoptio in filios, seu incorporatio cum Christo capite: 5. infusio virtutum et donorum, præsertim fidei, spei, et charitatis: 6. aditus ad hæreditatem æternam: 7. jus ad auxilia, quibus in novitate vitæ ambulemus, quod specialis dicitur hujus Sacramenti gratia: 8. capacitas recipiendi alia Sacramenta (*l*).

61. Estne Baptismus necessarius?

Extra casus voti, et martyrii, uti diximus num. 48. et nota subjecta Baptismus est omnibus, ipsis infantibus necessarius, et quidem necessitate medii: aperte constat ex verbis Christi apud Joan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: et ex constanti traditione, estque a Trid. definitum (*m* * 26).

62. Potestne Baptismus iterari?

Nequaquam, quia characterem imprimit: quod est de fide; nam Apostolus Ephes. 4. 5. inquit: *Unum baptisma;* et est a Trid. definitum (*n* 27 ✠).

(*l*) Hæc omnia patent ex allatis locis, et ex Rom. 8. 15. et 17. ex epist. 1. Joan. 3. 1. ex traditione etc.

(*m**) *Sess. 7. de Bapt. can. 5.* Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem; anathema sit.

(26) Quare mortaliter peccant, qui infantis Baptismum per multum tempus differunt, *ex Rit. Rom. loc. cit. et pluribus Concil. Provincial.* Inter varias DD. opiniones probabilius et communius dicendum gravem esse dilationem, si decem aut undecim excedantur dies.

Non licet, quidquid aliquis dicat, matrem occidere, aut probabili mortis periculo exponere, ut puer baptizetur. Sic etiam juxta communiorem sententiam non licet puerum occidere, puta projiciendo in puteum etc. sed probabilius licet puerum mox moriturum aqua frigida baptizare, etsi timeretur ex hoc mors acceleranda.

(*n*) *Sess. 7. cit. can. 9. et ibid. de Bapt. ex can. 11. et 13.*

(27) In dubio tamen de Baptismi validitate, post diligentem inquisitionem potest Baptismum sub conditione iterari, *can. 112. et 113. dist. 4. de consecrat. et cap. 2. de bapt. etc.*

(✠) Hinc in dubio sunt sub conditione baptizandi infantes expositi, et ex veriori sententia etiamsi cum scheda sint expositi, *Rit. Rom. de baptismo.*

Infantes ab obstetricibus vel laicis in necessitate baptizati probabilius non sunt rebaptizandi, nisi adsit probabile dubium invaliditatis: sed consueti ritus et cæremoniæ sunt in Ecclesia supplendæ.

Baptizati ab hæreticis non sunt rebaptizandi; nisi quando dubitatur de valore Baptismi: quod dubium adest in Baptismo collato a Prædicantibus, ab Anglis, a Lutheranis et Calvinianis etc.

63. Quinam est hujusmodi Sacramenti minister?

Minister ordinarius Baptismi sollemnis est solus Sacerdos: extraordinarius vero est Diaconus: uti habetur ex Scripturis, traditione, et universali Ecclesiæ praxi (* 28). Quisque laicus, vir vel femina, fidelis vel infidelis, modo facere intendat quod facit Ecclesia, est minister Baptismi non sollemnis in casu necessitatis: sic constat ex perpetua traditione (** 29).

(*) Prima pars habetur ex Matth. 28. 19. ubi Christus Apostolos et Discipulos, ac proinde eorum in sacerdotio successores, Episcopos nempe et Presbyteros ad baptizandum misit; et ex epist. Gelasii ad Episc. Lusitan. ex decreto Eugenii IV. etc. Secunda pars habetur ex Act. 8. ubi Philippus Diaconus baptizasse legitur, ex trad. ex laud. epist. Gelasii, ex verbis ipsius Ordinationis: *oportet, diaconum prædicare, baptizare etc.* et ex can. *Constat* 19. dist. 4. de consecrat.

(28) Mortaliter tamen peccat Diaconus extra necessitatem sine delegatione sollemniter baptizans: utrum fiat irregularis, quæstio est, ut est dictum in v. tract. num. 111. in adnotatione (66). Immo in ipsa necessitate probabilius et communius non potest solemniter baptizare absque Sacerdotis delegatione. Habetur necessitas, si non adessent Sacerdotes, si adsit multitudo baptizandorum, aut Parochus sit graviter infirmus, vel excommunicatus, vel alias occupatus etc.

Sacerdos sine licentia proprii Pastoris saltem rationabiliter præsumta, extra necessitatem baptizans, etiam sine sollemnitate, peccat graviter. Possunt Religiosi in necessitate, vel cum licentia baptizare.

Peregrini, vel qui domicilium non habent, possunt baptizari in Ecclesia, quam elegerint, *ex can. 5. caus. 10. q. 3.* Advenæ a Parocho loci, ubi jam contraxerint quasi-domicilium, Baptismum aliaque Sacramenta suscipere tenentur, secundum probabiliorem et communiorem sententiam, *ex cap. final. de Parochis etc. et ex pluribus decr. Rotæ.* Si mulier casu pariat in pago non suo, proles ab illius pagi Parocho est baptizanda: attamen si parum distet a pago proprio, puta duabus, vel tribus horis, potest proles etiam in Ecclesia propria baptizari.

(**) *August. lib. 6. de Bapt. cap. 53, Nicolaus I. in resp. ad Bulgaros, Eugenius IV. in decreto, can.* A quodam *24. dist. 4. de consecrat. cap.* Firmiter *1. §. 4. de summa Trinit. etc. D. Thom. 3. p. q. 67. a. 3. etc. et Trid. sess. cit. de Bapt. can. 4.* Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum: anathema sit. Veritas est de fide, excepta ultima parte, nempe de Baptismo collato a non baptizato.

(29) Dixi *non sollemnis in casu necessitatis*; nam si laicus (vel clericus non diaconus) aut sollemniter, aut extra necessitatem baptizat, graviter peccat: utrum fiat irregularis sollemniter baptizans, quæstio est, sicuti diximus in cit. tract. v. num. et nota cit.

Ex Rit. Rom. loc. cit. in necessitate *si adsit Sacerdos Diacono præferatur; Diaconus Subdiacono, Clericus laico, et vir feminæ* (et fidelis infideli), *nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum,*

64. *Quinam sunt Baptismi capaces?*

Omnes homines viatores nondum baptizati: quod patet ex Matth. 28. 19. ubi Christus inquit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos etc.*

65. *Infantes suntne Baptismi capaces?*

Maxime, et est de fide, uti constat ex traditione constanti, et Trid. definitione (o* 3o ✠).

66. *Quid sit de amentibus?*

Isti sunt baptizandi, si semper fuerint amentes; tunc enim

---

vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi: idem dicito, si vir sit infantis pater. *Quapropter curare debet Parochus* (et rationabiliter sub gravi quoad obstetrices) *ut fideles, præsertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probent, teneant, et servent.* At ex veriori sententia Sacerdoti excommunicato præferendus est laicus non excommunicatus.

Probabilius graviter peccat laicus baptizans Sacerdote præsente: quæstio vero est, utrum graviter peccet baptizans præsente Diacono. Probabilius peccat leviter, si baptizet laicus præsente Clerico inferiori, aut femina præsente viro.

(o*) *Sess. 7. de Bapt. can. 13.* Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; anathema sit.

(3o ✠) Hic plura notentur. 1. In dubio an infans vivat, vel sit animatus, si aliquod dederit vitæ signum, baptizandus est sub conditione *si vivat, Rit. Rom. de Bapt.* 2. In dubio an aliquod monstrum proditum ex congressu viri cum muliere, sit homo, si habet caput humanum, absolute baptizetur; si vero non habeat caput humanum, baptizetur sub conditione, *si homo sis.* Si monstrum sit ex viro cum bestia, baptizetur sub eadem conditione: si vero sit ex muliere cum bruto, nullo modo baptizetur; quia tunc non descendit ex Adam. 3. Si quis geminata habeat membra, quare dubitetur, utrum una vel plures sint personæ, tunc si plura habeat capita vel pectora, distincta totidem sunt danda Baptismata: alias unum absolute, altera sub conditione *si non es baptizatus* Baptismata sunt danda, *Rit. Rom. ibid.*

Baptismus filii infidelium (et hæreticorum) est validum. Est etiam licitum, parentibus invitis 1. si parentes (ambo vel unus) jam baptizati a fide defecerint, et hoc etiamsi proles apud parentes hæreticos sit mansura, juxta probabiliorem sententiam. 2. Si iste filius habens usum rationis Baptismum petat; in dubio vero de usu rationis, probabilius ante septennium est expectandum; post septennium baptizandus est. 3. In periculo mortis. 4. Si filius extra curam parentum juste vel injuste sit positus; nec adsit timor, quod ad eos sit reversurus. 5. Si sit a parentibus expositus, vel derelictus. 6. Si sit perpetuo amens. 7. Si sit in bello captus. 8. Si ejus parentes sint Christianorum mancipia. 9. Si unus parentum consentiat. Extra allatos, et alios similes casus non licet, invitis parentibus, infidelium filium baptizari, si adsit subversionis periculum, *S. C. S. Offic. 3. Martii 1703.* si non adsit hujusmodi periculum, quæstio est. De his lege sis cit. instruct. Bened. XIV. *Postremo mense.*

infantibus æquiparantur. Si antea amentes non erant, baptizandi sunt, si sui compotes Baptismum petierint; immo in necessitate satis est, si sufficientia indicia volendi Baptismum antea præstiterint: in dubio autem de petitione, sub conditione est eis Baptismus conferendus (*31*).

CAPUT II.

DE CONFIRMATIONE.

67. *Quid est Confirmatio?*

Est Sacramentum novæ legis, quo regeneratus per manus impositionem, et sacram unctionem cum præscripta verborum forma Spiritum Sanctum ad robur et spiritualia auxilia consequitur, ut Christi perfectus miles evadat, et intrepide fidem confiteatur.

68. *Estne verum novæ legis Sacramentum?*

Maxime, et est de fide: habetur ex Scripturis, et præsertim Act. 8. 17. ubi de Samaritanis baptizatis sic dicitur: *Tunc imponebant (Petrus et Joannes) manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum:* habetur ex perpetua traditione, et est a Trid. definitum (*p**).

(*31*) Idem tenendum de dormientibus.

Quæ sint requisitæ dispositiones in adultis baptizandis, jam diximus num. 40. 41. 42. 45. et 46. ac notis subjectis.

Quale sit peccatum accidentales omittere ritus in Sacramentorum administratione, dictum est num. 38. ejusque nota. Quoad Baptismum hic nota gravem esse omissionem baptizare 1. sine Chrismatis unctione, vel Chrismate alterius anni, *ex can. 122. dist. 4. et Rit. Rom. ibid.* 2. aqua non benedicta: 3. extra Ecclesiam; excipe si sit filius Principis, aut debita adsit licentia, *clement. un. de bapt. etc.* 4. sine patrino in baptismo sollemni. Hæc omnia intelligantur extra necessitatem.

In Rit. Rom. de Sacr. Oleis etc. sic habetur: *Curet (Parochus) ne obscœna, fabulosa, aut ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur, sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum etc.* Nomen in Baptismo impositum potest mutari, præsertim in Confirmatione.

(*p**) *Cit. sess. et can. 1. ac de Confirm. can. 1.* Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit.

69. Quandonam fuit hoc Sacramentum a Christo Domino institutum?

De hoc disputant Theologi: nonnulli opinantur, institutum esse cum Christus pueris manus imposuit, *Matth. 19. 13. ac 15. Marc. 10. 16.* alii volunt post resurrectionem: verosimilius tamen dicendum fuisse institutum in nocte cœnæ; uti habetur ex epistola 2. S. Fabiani Papæ ad Episcop. Orient. cap. 1. ubi dicitur: *In illa die Dominus Jesus, post quam cœnavit . . . . . Chrisma conficere docuit* (*).

70. Quænam est hujus Sacramenti materia?

In hoc mirifice discrepant Doctores. Aliqui docent solam manus impositionem, illam nempe, quæ habetur in principio ritus, ab unctione sejunctam, materiam esse proximam essentialem hujus Sacramenti: unctionem vero esse accidentalem, ab Ecclesia institutam: quare per istos materia remota est manus Confirmantis. Alii volunt utramque esse materiam essentialem, prædictam nempe manus impositionem, et Chrismatis unctionem: quapropter pro remota assignant et Chrisma et manum Confirmantis. Alii denique cum D. Thoma, Bellarmino, aliisque sexcentis, communiter tenent, solam unctionem, in qua de facto habetur manus impositio, materiam esse hujus Sacramenti essentialem: proindeque Chrisma esse volunt materiam remotam (*32*).

71. Quænam conditiones in Chrismate requiruntur?

Ut sit de balsamo, et oleo ex olivis expresso confectum, atque benedictione sanctificatum (*33*).

(*) Quod est relatum in can. *Litteris vestris* 18. dist. 3. de cosecrat.

(*32*) Fas est hanc quæstionem fuse lateque agitatam apud B. A. Ligorium legere lib. 6. num. 164.

(*33*) Juxta sententias, quæ tuentur unctionem esse materiam proximam, et Chrisma remotam, essentialem Confirmationis, aliqua sunt notanda. 1. Certum est oleum ex olivis requiri de necessitate Sacramenti: balsamum vero de necessitate præcepti; et probabilius et communius etiam de necessitate Sacramenti. 2. Certum est, Chrisma ab Episcopo esse benedicendum de necessitate præcepti: utrum etiam de necessitate Sacramenti, quæstio est; præstat tamen dicere saltem a Sacerdote esse benedicendum de necessitate Sacramenti. 3. Unctio facienda est per manum ipsius ministrantis; et immediate, juxta veram sententiam. 4. Secundum tertiam sententiam unctio facienda est in fronte, ut sic habeatur manus impositio: et in forma Crucis, saltem ad liceitatem.

Sub gravi adhibendum est Chrisma novum, illo anno consecratum.

72. *Quænam est forma ?*

Quæstio est a superiore dependens. Juxta primam sententiam forma est oratio, quam fundit minister, dum manum imponit. Juxta secundam sententiam tum oratio, quæ manus impositionem comitatur, tum verba, quæ in unctione proferuntur, sunt integra et adæquata forma. In tertia vero sententia forma est *Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (✻ 34).

73. *Quot sunt hujusce Sacramenti effectus ?*

Tres præcipui: scilicet 1. Character, ut jam diximus num. 25. 2. Gratia, non solum generalis, nempe augmentum gratiæ sanctificantis, sed etiam specialis et propria hujus Sacramenti, hoc est illa, quæ baptismalem perficit, corroborat, atque confirmat, viresque addit spirituales ad resistendum pro fide. 3. Cognatio spiritualis eodem modo, quo dictum est de Baptismo.

74. *Estne hoc Sacramentum necessarium?*

Certum est non esse de necessitate medii. Utrum sit de necessitate præcepti, variant Theologi. Præstat tamen dicere cum Bened. XIV. in bulla *Etsi pastoralis* (q 35): *fideles gravis peccati reatu teneri, si (cum possunt) ad Confirmationem accedere renuunt, ac negligunt;* quoniam tam validis adjumentis magnisque gratiæ ac gloriæ bonis voluntario se privant: præsertim urgente persecutione, aut tentatione contra fidem.

75. *Quinam est Confirmationis minister ?*

Ministrum ordinarium solum esse Episcopum, dogma fidei est, quod constat ex Act. 8. 15. et 19. 6. ex constanti traditione, atque Trid. definitione (r^*). Sacerdotes vero esse posse ex delega-

(✻) Inde mutationes substantiales essent, si omitteretur 1. verbum *signo*, vel *confirmo*: 2. aut verbum *te*: 3. aut *signo Crucis*, vel *Chrismate salutis*: 4. aut expressio Sanctissimæ Trinitatis.

(34) Nonnulli eorum, qui utramque materiam essentialem esse sustinent, volunt solam orationem sufficere pro forma: alii contra, etsi solam unctionem admittant pro materia essentiali, docent tamen utramque formam necessario requiri.

(q) *Bullar. tom. 1. bulla 57. §. 3. n. 4.*

(35) Clericali tonsura non potest quis, nisi confirmatus, initiari, *Trid. sess. 23. de reformat. cap. 4.* utrum vero sub gravi, vel levi, quæstio est.

(r^*) *Sess. 7. de Confirm. can. 3.* Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit.

tione ministros extraordinarios vera tenet sententia, de qua hodie non est dubitandum; et patet ex Græcorum usu, ex pluribus Pontificum concessionibus; atque ex bulla *Eo quamvis tempore* Bened. XIV. 4. Maji 1745. (36)

76. *Quinam sunt Confirmationis capaces?*

Omnes baptizati.

77. *Quid de infantibus, et amentibus?*

Infantes valide confirmantur: et licite quoque, si justa adsit causa; puta periculum mortis, absentia Episcopi, usus loci, ut in Hispania etc. aliter usque ad septimum annum hoc Sacramentum differre maxime convenit. Amentes vero omnino sunt confirmandi; quia æquiparantur infantibus (*s* 37).

78. *Quænam sunt requisitæ dispositiones ad hoc Sacramentum recipiendum?*

Præter Baptismum requiritur 1. status gratiæ: 2. jejunium, sed potius ex consilio ad majorem decentiam (38).

CAPUT III.

DE EXTREMA UNCTIONE.

79. *Quid est extrema Unctio?*

Est Sacramentum a Christo Domino institutum, quo per olei unctionem, et Sacerdotis orationem ægroto de vita periclitanti

---

(36) Ut possit Sacerdos confirmare expressa requiritur Summi Pontificis delegatio. Aliqui docent, posse unumquemque Episcopum in sua diœcesi hanc facultatem Presbyteris committere. Immo non desunt asserentes, simplicem Sacerdotem sine delegatione, illicite quidem, sed tamen valide hoc Sacramentum ministrare.

Sequentia notentur scitu digna. 1.° Episcopus sine Ordinarii loci expressa licentia confirmans in aliena diœcesi, etiam subditos suos, ipso jure suspensionem a pontificalibus incurrit, *Trid. sess. 6. de reformat. cap. 5.* 2.° Communius et probabilius censetur ex præsumta licentia posse Episcopum in sua diœcesi alienos subditos licite confirmare. 3.° Graviter peccat Episcopus, si longo tempore non confirmat: aut juxta aliquos si non confirmat moribundum petentem.

(*s*) *Catech. Rom. de Confirm. n. 18. et alibi. D. Thom.* 3. *p. q. 72. a. 8. ad 4. Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 10.*

(37) Græci baptizatis statim conferunt Confirmationem.

(38) Sub gravi requiritur patrinus; excipitur si nullo possit modo haberi.

auxilia necessaria præbentur, ad salutem non solum animæ, sed corporis etiam, si id animæ saluti expediat (*t*).

80. Estne verum Sacramentum?

Maxime, et est de fide: constat ex Jacobi verbis cap. 5. 14. et 15. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei*: ex quibus verbis clare videtur adesse signum sensibile, gratiæ collatio, atque divina institutio; quæ quidem tria ad Sacramentum constituendum requiruntur. Constat etiam ex perpetua traditione et Ecclesiæ praxi, ex variis Conciliis et peculiaribus et generalibus, et est novissime a Trid. definitum (*u**).

81. Quandonam est Sacramentum istud institutum?

Docet Tridentina Synodus sess. cit. de Sacr. extrem. Unct. cap. 1. fuisse hoc Sacramentum apud Marcum insinuatum, qui cap. 6. vers. 13. inquit, quod Apostoli *ungebant oleo multos ægros, et sanabant*: communis autem sententia tenet fuisse a Christo post resurrectionem institutum.

82. Quænam est hujus Sacramenti materia?

Materia remota est oleum ex olivis: materia proxima est unctio eodem oleo facta: ita ex cit. loc. Jac. Trid. ex decr. Eugen. IV. etc.

83. Debetne esse oleum ab Episcopo benedictum?

Maxime ex necessitate præcepti; et juxta communiorem, et forte probabiliorem sententiam in praxi tenendam, etiam ex necessitate Sacramenti; ut patet ex cit. Eugen. decr. et Trid. loco cit. (** *39* ✠).

(*t*) *D. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. a. 1. aliique communiter.*

(*u**) *Sess. 14. de Sacram. extrem. Unct. can. 1.* Si quis dixerit, extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.

(**) In dicto decreto pro hujus Sacramenti materia assignatur *Oleum olivæ per Episcopum benedictum*; et Trid. cap. cit. inquit: *Intelligit Ecclesia materiam* (*extremæ Unctionis*) *esse oleum ab Episcopo benedictum.* Vide D. Thom. suppl. q. 29. a. 5.

(*39* ✠) Quidquid aliqui dicant, potest hujusmodi benedictio a Summo Pontifice simplici Sacerdoti committi; uti constat ex usu Græcorum. Vide Bened. XIV. de Synodo lib. 8. cap. 1. num. 4. Probabilius sub gravi debet esse istud oleum in eodem anno benedictum. At in necessitate licite adhibetur antiquum, ex decl. S. C. 20.

84. Quænam est forma?

Est sequens: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Amen.* Et sic de aliis sensibus. Ita ex praxi Ecclesiæ, Concil. Trid. sess. cit. de extr. Unct. cap. 1. et can. 3. Rit. Rom. etc. (40)

85. Valetne forma indicativa, vel imperativa?

Ex veriori sententia non valet: nam ait D. Jacobus loc. cit. *Orent super eum, ungentes etc. et oratio fidei salvabit infirmum:* quibus verbis orationi tribuitur hujus Sacramenti efficacia: quare merito dicendum nonnisi deprecativam valere formam (x).

86. Enumera hujusce Sacramenti effectus

Sequentes enumerantur a Tehologis: 1. gratia sanctificans, a qua ceteri effluunt: 2. abstersio reliquiarum peccati: 3. remissio

---

Martii 1690. Si forte videatur infra annum non posse sufficere oleum benedictum, licet aliud non benedictum in minori quantitate superinfundere, *Rit. Rom. de sacris oleis, et cap. 3. de consecr. Eccl. etc.* Immo rursus aliud non benedictum licet adjicere, et rursus aliud, si opus sit.

Licite in necessitate adhiberi potest oleum non benedictum, aut Chrisma, aut oleum cathecumenorum; nam in extrema necessitate fas est adhiberi materiam dubiam: sed, dicerem, sub conditione.

De materia vero proxima, idest de Unctione notetur 1. Ungendæ sunt certæ præcipuæ corporis partes, saltem quinque sensus; et si sint mutilati, vicinæ partes ungantur. Muti, surdi, cæci a nativitate ungendi sunt in ipsis sensibus male affectis. 2. Hæc sensuum unctio est quasi de necessitate Sacramenti, ex communiori et tutiori sententia, *D. Thom. suppl. q. 32. a. 6. aliique commun.*: quapropter nonnisi in urgente necessitate una poterit sub conditione adhiberi unctio in aliquo sensu, et consultius in capite, *Bened. XIV. de Syn. lib. 8. cap. 3. num. 5. et alii.* In casu melius est dicere: *Per istam unctionem etc. indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum.* Si ægrotus supervivat, merito aliqui dicunt, repetendas esse unctiones in singulis sensibus, addendo orationes omissas. Unctio pedum, et lumborum non est necessaria; immo aliquando omittenda, ut in feminis etc. Sic non est de necessitate Sacramenti gemina unctio in geminis sensibus, v. c. in utroque oculo etc. Sicuti etiam ordo inter partium unctiones: at sine necessitate est graviter illicitum contra Ecclesiæ usum.

(40) In prædicta forma sunt de essentia verba *Per istam unctionem: Indulgeat tibi Dominus*: et probabilius *Quicquid deliquisti.* Quæstio est utrum sint de essentia verba *et suam piissimam misericordiam*: ac expressio sensuum etc. Non sunt de essentia *Sanctam* et *Amen.*

(x) *D. Thom. suppl. q. 29. a. 8. Bened. XIV. de Syn. lib. 8. cap. 2. num. 2. aliique commun.*

peccatorum sive lethalium, sive venialium: 4. allevatio infirmi, ut patienter ferat morbi mortisque incommoda, et tentationibus magna fiducia resistat: 5. sanitas corporis, si animæ expediat (y* 41).

87. Quid intelligitur per peccatorum reliquias?

Intelligitur propensio ad malum, torpor ad bonum, animæ debilitas, et juxta aliquos reatus pœnæ temporalis post pœnitentiam expungendus: ita D. Thom. et alii.

88. Potestne hoc Sacramentum iterari?

Maxime, ex declaratione Trid. cit. sess. de extr. Unct. cap. 3. quia nullum imprimit characterem.

89. Quandonam hoc Sacramentum iterum potest ministrari eidem infirmo?

Si diuturna non est infirmitas, ad iterandum hoc Sacramentum requiritur, ut infirmus a priori infirmitate *convaluerit, et in aliud simile vitæ discrimen inciderit*, sunt verba Trid. loc. cit. Si vero infirmitas est diuturna, ut est hectica, hydropisis etc. potest iterari, quando post evasionem periculi, deinde ex eodem morbo in aliud simile mortis periculum rursus inciderit infirmus: ita Rit. Rom. de extr. Unct. D. Thom. in 4. dist. 23. q. 2. a. 4. q. 2. S. Carolus Borrom. Conc. Mediol. p. 2. Bened. XIV. de Syn. lib. 8. cap. 8. num. 4. etc. (✠)

90. Quinam est Minister extremæ Unctionis?

Solus Sacerdos; quod est de fide, ut constat ex verbis Apo-

(y*) *Ex cit. Apostoli verbis, D. Thom. lib. 4. contra Gent. cap. 73. aliique commun. post Trid. cit. sess. 14. de extr. Unct. cap. 2. et can. 2.* Si quis dixerit sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, ... anathema sit.

(41) Quæstio est utrum extrema Unctio peccata remittat per se, an per accidens, ut Eucharistia etc. Probabilior et communior sententia tenet remittere per se, sed secundario: primario nempe tollit peccatorum reliquias, quæ cum non possint tolli, nisi prius tollatur peccatum, ex consequenti hoc Sacramentum peccatum aufert, si sit in anima. Quod patet ex verbis Apostoli *Si in peccatis sit, dimittentur ei*, ex Trid. loc. cit. et ex ipsa forma *Indulgeat* etc.

Quæstio est, an in qualibet partiali Unctione producantur effectus, vel quando ultima completur.

(✠) Ut videatur infirmus mortis periculum evasisse, non sufficit si per quatuor vel quinque dies se melius habeat; sed per notabile tempus, puta per mensem, nisi aliud eruatur ex circumstantiis.

stoli *inducat Presbyteros Ecclesiæ*, ex perpetua traditione, et est a Trid. definitum (*a*** 42).

91. *Quinam possunt Sacramentum hoc recipere?*

Infirmi, de quorum morte probabiliter timetur: (quidquid aliqui dicant) patet Apostoli verbis *Infirmatur quis in vobis? etc.* ex decreto Eugenii IV. ex Trid. loc. cit. cap. 3. et ex Ecclesiæ praxi (✠ 43).

92. *Quænam dispositiones in suscipiente desiderantur?*

Ut sit rationis capax ante morbum, et in gratia, vel saltem attritus.

Utrum sit hoc Sacramentum necessarium, idem dicito uti de Confirmatione dictum est num. 74. Omnes tamen conveniunt graviter peccare infirmum hoc Sacramentum omittentem; si conscientiam habens peccati mortalis aliud Sacramentum haud posset recipere; vel scandalum daret; vel ex contemtu illud omitteret.

(*a* **) *Ibid. can. 4.* Si quis dixerit ..... proprium extremæ Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.

(42) Peccat tamen Sacerdos sine licentia Parochi saltem præsumpta hoc Sacramentum ministrans: et si est Regularis, excommunicationem incurrit Papæ reservatam, *Clement 1. de privileg. etc.* Excipitur, si adsit necessitas, vel privilegium.

Notetur esse mortale 1. ministrare extremam Unctionem sine superpellicco et stola: at probabiliter excusat necessitas. 2. Extra necessitatem omittere orationes in Rituali præscriptas: in necessitate vero cito ungatur infirmus, et deinde, si supervivat, dicantur orationes prætermissæ. 3. Si Parochus negligat, vel cum probabili periculo differat, cum sit petitus, hoc Sacramentum ministrare. Ad hoc tenetur etiam cum periculo vitæ, cum verisimiliter censetur infirmus esse in mortali, et non posse ab illo absolvi, puta quia sensibus destitutus etc. Sacerdos vero non curatus, absente Parocho, probabilius tenetur sub gravi in simili necessitate; extra dictam necessitatem sub levi.

(✠) Hinc Sacramenti hujus capaces sunt 1. Mulier in difficili et periculoso partu: non vero si communibus tantum doloribus laborat. 2. Vulnerati, si adsit mortis periculum. 3. Senes, qui ipsa senectute deficiunt.

Contra capaces non sunt præliaturi, in naufragio constituti, morte plectendi, aliique hujusmodi; quia non sunt infirmi.

Probabilius Sacramenti hujus capaces non sunt infantes: pueri vero, de quorum rationis usu dubitatur, probabilius ungendi sunt sub conditione. Contra ex probabiliori et communiori sententia puer doli capax potest hoc Sacramentum recipere, licet non adhuc sit Communionis capax. Item probabilius incapaces sunt perpetuo amentes: sunt autem capaces, si habuerint lucidum intervallum, vel aliquando non fuerint amentes: et in dubio ungendi sunt sub conditione.

Impœnitentes, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, non sunt ungendi, *Rit. Rom. loc. cit.*

De excommunicatis, interdictis etc. vide dicta in v. tract. num. 41. 82. ac not. subject.

(43) Ex Catechismo Rom. §. 9. gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat.

PARS III.

DE AUGUSTISSIMA EUCHARISTIA.

Duplici respectu potest Eucharistia considerari, uti Sacramentum, et uti Sacrificium: uti Sacramentum exponitur in hoc capite, uti Sacrificium in sequenti.

CAPUT I.

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRAMENTUM.

93. *Quid denotat verbum* Eucharistia : *quibusque aliis nominibus hoc Sacramentum est appellatum?*

Eucharistia ευχαριστία Græca vox est, quæ gratiarum actionem, seu bonam gratiam significat: sic vocatur hoc Sacramentum ; quia in eo Corpus et Sanguis Christi in gratiarum actionem Deo offertur, et omnium gratiarum fons ipse uberrimus a fidelibus sumitur. Vocatur quoque 1.° *Eulogia*, idest benedictio *ex Apostoli 1. Cor. 10. 16.* 2.° *Communio*, quia per illam tam Christo, quam fidelibus aliis conjungimur, *ibid. vers. 17.* 3.° *Synaxis*, idest *collectio*, *adunatio etc.* quia solemus congregari ad illam recipiendam *ex Apost. 1. Cor. 11. 20.* 4.° *Viaticum*, *Conc. Nic. can. 13.* quia fidelibus datur, ut peregrinationis suæ viam feliciter absolvant, et ad Patriam pergant. 5.° *Sanctissimum Sacramentum* catexochen, propter ejus præ aliis excellentiam. 6.° Denique *Cœna Domini Corpus Christi*, *Panis cœlestis*, *Panis Dominicus*, *Panis Christi*, *Panis Angelorum etc.*

94. *Quid est Eucharistia, uti Sacramentum?*

Est Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, ad spiritualem fidelium refectionem institutum (*b*).

(*b*) *Conc. Later. IV. cap.* Firmiter *1. de summa Trin. etc. Trid. sess. 13. cap. 1. 2. 3. et 4.*

95. *Sub panis speciebus una cum Corpore contincturne quoque Sanguis Christi, et contra?*

Vi verborum consecrationis Corpus tantum existit sub speciebus panis, et Sanguis sub speciebus vini: at cum Corpus, Sanguis, Anima, Divinitas etc. amplius separari nequeant in Christo, *per concomitantiam*, ut ajunt Scholastici, totus sub unaquaque specie continetur Christus (c*).

96. *In quo ergo in recto consistit essentia seu ratio hujus Sacramenti?*

Nonnulli opinantur esse in consecratione sitam, per quam Corpus et Sanguis sub panis et vini speciebus fit præsens. Alii in Corpore et Sanguine Christi totaliter et absolute. Alii cum Scotistis in speciebus panis et vini. Sed rectius cum D. Thoma (*d*) ponenda est in ipso Corpore et Sanguine Christi, quatenus est sub speciebus panis et vini: tum quia non actione transeunte, sed in re fixa et permanente est hoc Sacramentum situm; tum quia debet esse aliquo modo sensibile; tum denique quia ut Sacramentum præbet gratiam, adoratur etc. (44)

97. *Quando Sacerdos conficit hoc Sacramentum?*

Cum in sacrificio Missæ consecrat panem et vinum: tunc vi verborum consecrationis panis substantia in corpus Christi, et vini substantia in ejus sanguinem convertitur; solis panis et vini speciebus remanentibus: quam conversionem Ecclesia *transubstantiationem* appellat.

(c*) *Concil. Florent. in decret. Eugen. ad Armenos, Trid. sess. 13. cap. 3. et can. 3. ubi sic definivit*: Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit: *et sess. 21. cap. 1, et can. 3.*

(*d*) *In. 4. dist. 7. a. 1. ad 2.*

Confirmatur ex can. *Hoc est* 48. de consecr. dist. 2. et ex Trid. sess. 13.

(44) Hoc inter et cetera Sacramenta differentia notetur: omnia alia dicuntur *transeuntia*, quia tunc solum sunt Sacramenta, cum conficiuntur, et applicantur: hoc dicitur *permanens*, quia consistit in re permanente, id est semper est tale, sive sumatur, sive servetur, ut habetur ex Trid. definitum sess. 13. can. 4. *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus et Sanguinem D. N. J. C. sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post.... anathema sit.*

98. Quandiu Christus manet in Eucharistia, seu sub speciebus panis et vini?

Donec specierum tanta fiat mutatio, ut corrumpantur, vel consumantur, idest desinant esse illius panis et vini consecrati species (✱).

99. Quandonam Christus hoc Sacramentum instituit?

In cœna novissima, ut habetur ex Matth. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11. etc. cum dixit *Hoc est Corpus meum etc. Hoc facite in meam commemorationem.* Vide Trid. sess. 22. cap. 1.

100. Quænam est Eucharistiæ materia?

Materia, ex qua Eucharistia consecratur, sola et necessaria est panis et vinum: dogma est fidei, quod constat ex prædictis locis, ex perpetua constanti traditione, et Trid. cit. loc. Disputant vero Theologi in definienda materia proxima. Aliqui putant, esse ipsam conversionem panis et vini in Corpus et Sanguinem Domini: alii solas panis et vini species, quæ remanent peracta consecratione: alii ipsum Christi Corpus et Sanguinem, quatenus per species panis et vini sensibile redditur: alii denique utrumque, idest tam Corpus et Sanguinem Christi, tam species, quibus tegitur.

101. Qualis panis est ad Eucharistiam necessarius?

Ille qui usitato nomine *panis* absolute vocatur, idest panis ex farina triticea et aqua naturali subactus, ac igne simpliciter tostus, sive assatus: talis enim fuit a Christo adhibitus, et præceptus illis verbis *Hoc facite etc.* (45)

102. Quid si hujusmodi pani aliquid sit admixtum alterius materiæ?

Si tantum sit admixtum alterius materiæ, ut non amplius

(✱) V. C. Si species vini cum alius liquoris magna quantitate misceantur; si species panis per aquam aliumque liquorem omnino dissolvantur.

Quod autem ad sumtam Eucharistiam attinet, species juxta qualitatem stomachi magis minusve calidi, aut validi consumuntur. Generaliter loquendo, si sumta sit particula, intra paucos minutos species consumuntur: in Sacerdote vero, qui celebravit, intra quadrantem circiter.

(45) Sic a Cathech. Rom. p. 2. n. 13. D. Thom. 3. p. q. 74. art. 4. DD. communiter, et patet ex Eugenii IV. decreto, ubi de Eucharistia dicitur: *Cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite:* confirmatur quoque a Missali Rom. ubi habetur: *Si panis non sit triticeus, non conficitur Sacramentum.* Hinc quicumque panis ab exposito substantialiter diversus aptus non est, quidquid somniet aliquis.

remaneat panis triticeus usualis, non conficitur Sacramentum: secus vero si adeo modica sit immixta materia, ut communi existimatione adhuc censeatur panis triticeus usualis.

103. Quid de pane mucido, seu ad corruptionem disposito?

Tunc valide consecratur, at non licite. Idem est de vino, quod acescere incepit.

104. Debetne esse azymus, an fermentatus?

Panis sive azymus sive fermentatus apta est Eucharistiæ materia: quod fidei dogma est Concil. Florentino definitum (*); et patet ex universæ Ecclesiæ praxi: ratio est, quia azymus et fermentatus specie non differunt. Sacerdos vero sub gravi tenetur, Latinus in azymo, Græcus in fermentato, juxta suæ Ecclesiæ ritum consecrare, ut habetur ex cit. Conc. et aliter agens perpetuæ suspensionis a divinis pœna multatur (*e*): insuper Latinus beneficio etiam et officio perpetuo privatur (*f* *46*).

105. Quale vinum ad Eucharistiam est aptum?

Solum vinum ex uvis expressum, ut docet fides; istud enim Christus adhibuit, et expressit esse *genimen vitis*, et sic definiit laudatum Concilium (*g* ✱).

106. Vinum non merum, sed aqua admixtum, vel ex musto et aqua simul fervescentibus confectum, estne materia idonea?

Minime, si tanta sit aqua immixta, ut potius fiat aqua vino temperata: secus vero, si in modica quantitate sit aqua, ut vini naturam minime tollat.

(*) *Definimus insuper, in azymo, sive in fermentato pane triticeo Eucharistiam veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem.*

(*e*) *Constit. Ben. XIV.* Etsi Pastoralis *§. 6. n. 10. an. 1742.*

(*f*) *Cap.* Litteras *14. de celebrat. Missar. etc.*

Vide quoque constitut. S. Pii V. *Romani Pontificis.*

(*46*) Utrum vero necessitas, puta ad præbendum Viaticum infirmo, a prædicto præcepto excuset, non convenit inter Theologos.

(*g*) *Matth. 26. 29.*

(✱) Hinc materia apta non est 1. Sicera aliusve liquor ex moris, malogranatis etc. 2. Acetum. 3. Mustum coctum: 4. Ipsæ uvæ: 5. Succus ex uvis acerbis expressus, si nullam habet speciem vini: 6. Cerevisia, vulgo *birra*: 7. Spiritus vini.

Valida, sed illicita materia est 1. Mustum: 2. Vinum acescere incipiens: 3. ex vera sententia vinum congelatum.

Alia spectantia ad materiam panis et vini fas est legere in rubricis Missalis Romani.

107. *Estne vino consecrando aqua naturalis admiscenda?*

Maxime, ad mysteriorum significationem; sicut habetur ex pervetusta praxi, ex plurimis decretis, et Trid. declaratione (*h**). Non tamen ad valorem consecrationis, sed tantum ex Ecclesiæ præcepto sub gravi obligante (*i* ✱).

108. *Cur aqua cum vino miscenda est in calice?*

1. Ad significandum mysterium sanguinis et aquæ, quæ ex Christi perforato latere exierunt. 2. Ob mysterium dominicæ Incarnationis, qua natura humana cum divina est conjuncta in unitate personæ divinæ. 3. Ob mysterium unionis fidelium cum Christo capite.

109. *Si Sacerdos advertat se non posuisse modicum aquæ in vino consecrando, quid agere debebit?*

Si advertat ante consecrationem calicis, statim ponat eam; si vero post calicis consecrationem advertat, nullo modo apponat; quoniam admixtio aquæ non est de necessitate Sacramenti.

110. *In dubio num materia panis aut vini sit idonea, licetne consecrare?*

Minime, ne nullitatis periculo exponatur sacramentum. Nonnulli excipiunt si urgeat necessitas.

111. *Materia consecranda qua ratione debet esse Sacerdoti celebranti præsens?*

Ita præsens, ut verificentur pronomina *hoc* et *hic* in consecratione adhibita.

112. *Ut materia præsens valide consecretur, debetne celebrantis intentione determinari?*

Maxime, intentione saltem virtuali, et generali, qua intendat Sacerdos consecrare materiam ante se ad consecrandam positam.

(*h**) *Sess. 22. can. 9.* Si quis dixerit.... aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem: anathema sit.

(*i*) *Can.* Sic in *2. de consecrat. dist. 2. ex Trid. sess. cit. cap. 7. Catech. Rom. de Sacram. Eucharistiæ num. 16. et 17. alibiq.*

(✱) Modicissima aquæ quantitas vino est admiscenda, *ex decr. Eugen. IV.* modo sit sensibilis. Aliqui permittunt usque ad octavam vini partem: alii usque ad quintam: alii ad tertiam usque, intelligitur modo vinum sit generosum. Quæstio est, utrum, et quomodo, mediate, vel immediate etc. aqua etiam in Christi Sanguinem mutetur.

113. Sacerdos unam credit hostiam consecrare; sed postea duas cohærentes detegit, suntne ambæ consecratæ?

Utique, nisi expresse intenderit unam tantum consecrare: intentio enim generalis est materiam præsentem consecrandi. Idem est si particulæ consecrandæ plures postea detegantur, quam credebantur.

114. Si in actione Missæ Sacerdos detegat materiam esse ineptam, quid agere debet?

Si id adverterit ante consecrationem, aliam ponat materiam idoneam, et facta oblatione saltem mentaliter, prosequatur ab eo loco, ubi desivit. Si id adverterit post consecrationem, facta oblatione ut supra, consecret novam materiam, incipiendo a verbis *Qui pridie quam pateretur*, vel *Simili modo*, prout hostia, vel calix, vel uterque sit consecrandus. Si post sumtionem hostiæ adverterit illam non fuisse idoneam, aliam offerat hostiam et consecret ut supra, atque missam prosequatur. Si denique post calicis sumtionem adverterit panem, vel vinum, vel utrumque non fuisse idoneum, tunc novum panem, et vinum cum aqua, utrumque offerat et consecret ut supra, ac statim sumat, atque Missam prosequatur. Materia vero inepta consecrata, si non sit sumta, sumatur post sumtionem Corporis et Sanguinis, vel aliis sumenda tradatur, vel alicubi reverenter conservetur.

115. Quænam est Eucharistiæ forma?

Ex communi Catholicorum sententia forma consecrationis panis sunt verba HOC EST CORPUS MEUM: et forma consecrationis vini HIC EST CALIX SANGUINIS MEI, vel HIC EST SANGUIS MEUS: et ex probabiliori sententia hæc sola verba, non vero alia, quæ apud Latinos præcedunt, apud Græcos sequuntur, integram constituunt Eucharistiæ formam (47): nam sola ista verba ad transubstantiationem, quam consecratio operatur, significandam sunt satis. At mortaliter peccaret Sacerdos, si quid de reliquis omitteret.

---

(47) Vide Eugenium IV. in decreto, Miss. Rom. tit. 10. n. 1. et 5. habetur quoque PP. communis consensus, ut videri potest apud dogmaticos Theologos.

Absurda videtur omnino illorum opinio, qui consecrationem panis non perfici volunt, nisi tota quoque pronuntiata consecrationis vini forma.

Quænam verborum mutatio formam vitiet, jam est dictum n. 13. 14. 15. 16. ac not. subject.

116. Si duæ sunt consecrationis materiæ, panis et vinum, duæ quoque respondentes formæ; duo igitur sunt Sacramenta?

Nequaquam: nam cum unus idemque Christus sub singulis speciebus contineatur, unum tantum est Sacramentum. Duæ materiæ et formæ sunt ad mysterii significationem.

117. Quinam sunt hujusce Sacramenti effectus?

Præcipui sunt 1. gratiæ sanctificantis augmentum: 2. venialium remissio: 3. auxilium ad vitanda mortalia, et perseverandum in bono: 4. spiritualis sancta delectatio: 5. specialis unio cum Christo, et ejus membris: 6. vita æterna tam animæ, quam corporis (*k 48*): 7. aliquando per accidens etiam gratia prima: vide dicta num. 7. in nota (*3*).

118. Quoties Eucharistia sumitur, producitne semper dictos effectus?

Maxime; sed magis minusve, prout erunt uniuscujusque dispositiones. Contra qui corpus et sanguinem Domini *manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*l*).

119. Estne hoc Sacramentum necessarium?

Utique: necessitate tamen, non medii, sed præcepti divini, et ecclesiastici omnes adultos obligantis (*m* 49*). Attamen non ob-

(*k*) *Joan. cap. 6. 55. 56. et 57. et alibi, Clem. V. in Conc. Vienn. Eugen. IV. in decreto, Trid. sess. 13. cap. 2. et ex PP.*

(*48*) Probabile est, Sacram Eucharistiam, quamdiu manet in stomacho, majores causare gratias, majori dispositione accedente. Quare reprehendenda non est eorum devotio, qui, ut uberiores gratiæ fructus percipiant, majores hostias sumere satagunt ea mente, ut diutius in stomacho manentibus speciebus eucharisticis, diutius secum Christus maneat, et amplius gratias augeat. Abusus tamen esset plures particulas simul communicantibus tradere, ab Innoc. XI. post decretum S. C. damnatus.

(*l*) *1. Cor. 11. 29.*

(*m**) *Trid. sess. 21. can. 4.* Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; anathema sit.

(*49*) Quod autem attinet ad hujusmodi præceptum, vide in III. cap. istius tertiæ partis.

Ex Catholicis non desunt docentes, Eucharistiam in voto, saltem implicito, ipsis infantibus necessariam esse necessitate medii; quale votum in parvulis habetur, non ex propria, sed ex Ecclesiæ implicita voluntate.

De frequentia Communionis notetur prop. 56. ab Innoc. XI. damnata sic ajens: *Frequens Confessio, et Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis*: et contra prop. 23. proscripta ab Alex. VIII. *Similiter arcendi sunt a Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers*. Dein notetur quod inquit D. Augustinus libr. de verbis Domini serm. 28. *Accipe quotidie, ut quotidie tibi*

ligat dictum præceptum fideles non sacrificantes sub utraque specie Eucharistiam sumere; quod est de fide, et patet ex Scripturis, traditione, et Trid. definitione (*n** *50*).

120. Quinam est Eucharistiæ minister?

Solus Sacerdos minister est conficiendæ Eucharistiæ: solis enim Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, Christus hanc dedit potestatem, cum illis tantum inquit *Hoc facite in meam commemorationem*. Veritas fidei est, ex Scripturis, perpetua traditione, et Conciliis constans, et a Trid. definita (*o***). Item Sacerdos est minister ordinarius Eucharistiæ distribuendæ; quod patet ex cit. loc. et Trid. (*p*): Diaconus vero est minister dipensator extraordinarius; urgente tamen necessitate, et habita Episcopi, vel Presbyteri delegatione; uti constat ex traditione, et praxi (*q 51* ✠).

---

prosit: tamen *Sic vive, ut quoditie merearis accipere.* Quare merito attendendum est S. C. decretum anno 1679. editum, et Innoc. XI. auctoritate confirmatum: in quo postquam dicitur usus frequens vel quotidianus Eucharistiæ semper fuisse in Ecclesia a SS. Patribus approbatus, subjungitur: *Frequens accessus (ad Communionem) Confessariorum judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentiæ fructu, et ad pietatem processu laicis negotiatoribus, et conjugatis, quod prospiciunt eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt.* Generice loquendo, Communio frequens vel quotidiana concedi potest iis, qui eam desiderant, ut in divino amore proficiant, semper ac alienati ab affectu venialium, et bonis operibus incumbendo, ad perfectionem tendere conantur; etiamsi aliquando ob meram fragilitatem in aliquod caderent veniale.

(*n**) *Sess. cit. can. 1.* Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes et singulos Christifideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere; anathema sit: *et can.* 2. Si quis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret; aut in eo errasse; anathema sit.

(50) Potest tamen Summus Pontifex justis de causis alicui populo calicis usum iterum concedere.

(*o***) *Conc. Nicæn. can. 18. Conc. Lateran. IV. can. 1. Eugen. IV. in decreto, Trid. sess. 22. cap. 1. et can.* 2. Si quis dixerit, illis verbis *Hoc facite in meam commemorationem* Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes: aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum; anathema sit.

(*p*) *Sess. 13. cap. 8.*

(*q*) *Conc. Carthagin. IV. can. 38. Conc. Aquisgran. cap. 7. D. Thom. 3. p. q. 82. a. 3. ad 1. etc.*

(*51*) Utrum peccet, et aliquam incurrat pœnam Diaconus, qui sine necessitate, vel delegatione Eucharistiam ministrat, idem dici potest, quod num. 63. not. (*28*) dictum est.

(✠) Sequentia notentur ad praxim necessaria.

1.° Probabile est posse laicos in extrema necessitate 1. Eucharistiam per seipsos

121. *Sacerdotes quicunque possuntne ex solo ordine Sacramentum Eucharistiæ ministrare?*

Possunt per modum Sacrificii, idest in Missa ex particulis in eadem consecratis. At non possunt per modum Sacramenti, scilicet extra Missam, sine licentia proprii Pastoris; vel aliquo privilegio: sufficit tamen licentia generalis ex consuetudine, ex consensu præsumto etc.

122. *Quinam possunt Eucharistiam suscipere?*

Soli homines viatores et baptizati (r).

123. *Quid de pueris, amentibus, vel energumenis?*

Ex hodierna consuetudine apud Latinos non licet Eucharistiam infantibus præbere (s 52). Item est de perpetuo amentibus; quia ab infantibus non differunt. Si vero amentes lucida habeant rationis intervalla, in iis possunt Eucharistiam suscipere. Quod si, cum

---

sumere: 2. Viaticum moribundo præbere, præsertim si moribundus peccator attritus nullum aliud possit Sacramentum recipere.

2.° Sic quoque probabiliter potest Sacerdos (et idem dici potest de Diacono), præciso scandalo, semper seipsum communicare, etiam sola devotionis causa, si nullus alius adsit Sacerdos.

3.° Non licet (sub levi tamen ex probabiliori sententia) ex hostia majori Celebrantis particulam defractam laico dare. Excipe, si sit communicandus infirmus, vir nobilis, famulus, vel alius qui nequit sine incommodo expectare, vel alia adsit rationabilis causa; et hoc etiamsi ex sola devotione quis sit communicandus.

4.° In missis de *Requiem* in paramentis violaceis licite potest Eucharistia ministrari, etiam cum particulis præconsecratis, tam ante, quam post Missam: eo magis in medio. In paramentis nigris licet Eucharistiam præbere per modum Sacrificii, scilicet intra Missam de particulis in eadem consecratis: idemque probabiliter tenendum est de particulis præconsecratis, ut constat ex usu: vide Ben. XIV. de Sacrif. Missæ t. 9. l. 3. c. 18.

5.° Ex consuetudine non licet, nisi in solo casu necessitatis, Eucharistiam dispensare noctu, vel in extrema diei parte: falsum tamen est non licere post meridiem. Item non licet in Missa Nativitatis Domini, quæ dicitur media nocte; nec in die Parasceves. Licet tamen in Missa Sabbati Sancti: et aliqui hoc admittunt etiam extra Missam.

6.° Ex communi sententia tenetur Parochus Eucharistiam ministrare, quoties oves rationabiliter et opportune petunt. Quæstio vero est, utrum teneatur Parochus cum periculo vitæ moribundis Viaticum præbere.

(r) *Conc. Carthag. III. can. 6. Conc. Trull. can. 83.*

(s). *D. Thom. 3. p. q. 80. a. 9. ex Trid. sess. 21. cap. 4. et can. 4. Catech. Rom. n. 62. Rit. Rom. de Euchar.*

(52) Pueri statim ac usum rationis habent, possunt communicare, at non tenentur, nisi ætate discretionis: sic probabilius ex D. Thom. loc. cit. et cap. *Omnis utriusque sexus* 12. de pœnit etc. In articulo vero mortis omnino eis præbendum est Viaticum; ita Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 12. n. 3.

erant rationis compotes, piam animi voluntatem præsetulerint, in ipsa amentia possunt Viaticum suscipere (t 53). Energumeni in periculo mortis possunt recipere, et etiam extra mortis periculum, si lucida et quieta habeant intervalla (u).

124. Quid de peccatoribus, excommunicatis etc?

Arcendi sunt publici peccatores, excommunicati, interdicti etc. etsi publice petant; nisi constet de eorum pœnitentia et emendatione. Peccatores vero occulti publice petentes, non sunt arcendi, ad scandalum vitandum: si vero occulte petant, sunt arcendi, nisi sint emendati (54).

125. Quænam dispositiones in suscipiente Eucharistiam, et eo magis in Sacerdote celebrante desiderantur?

Status gratiæ, debita devotio, jejunium naturale, et corporis puritas (x 55 ✠).

(t) *Conc. Carthag. IV. can. 76. Catech. Rom. n. 64. Rit. Rom. ibid. D. Thom. ibid.*

(53) Semifatuis vero, si aliquo modo intelligant hoc Sacramentum, concedendum est, urgente præcepto, vel mortis articulo. Idem est de mutis et surdis a nativitate.

(u) *Conc. Eliberitan. can. 37. D. Thom. loc. cit.*

(54) Relege dicta in num. 36. et subject. adnotat.

Hic nota quod sit neganda Communio mulieri inhoneste ornatæ.

(x) *1. Cor. 11. 28. Trid. sess. 13. cap. 7.*

(55 ✠) De supradictis dispositionibus varia sunt notanda scitu necessaria.

1.° Quoad statum gratiæ. Lethali culpa maculatus Communioni Confessionem præmittere obligatur, ut diximus num. 43. Excusatur ab isto præcepto, si adsit gravis et urgens necessitas, et nullus haberi possit Confessarius. Necessitas sufficiens est 1. periculum mortis: 2. consecrare ad Viaticum morituro daudum: 3. infamia vel scandalum inde secuturum: 4. si Sacerdos in Missa jam consecraverit; non vero ante consecrationem (quidquid aliqui dicant), nisi adsit scandalum vel infamia. Attamen in omnibus præfatis casibus præmittenda est contritio. Probabilius non est sufficiens necessitas 1. præceptum audiendi Sacrum: 2. præceptum annuæ Communionis.

Probabile est, quod si quis post Confessionem recordetur alicujus peccati lethalis inculpabiliter obliti, possit communicare priusquam illud confiteatur peccatum; modo in præcedenti Confessione universalem habuerit dolorem, per quem peccatum jam sit indirecte remissum: præcipue si qua adsit causa.

Consultius est, ut quis statim post peccatum mortale, licet contritus et confessus, ad Eucharistiam non accedat; nisi aliud videatur Confessario prudenti. Contra notetur prop. 2. ab Alex. VIII. proscripta, quæ ajebat: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.*

2.° Quoad debitam devotionem atque reverentiam. Non est danda, aut sumenda Eucharistia 1. si periculum adsit rejiciendi particulam, puta ratione vomitus, tussis

126. *Quid sentiendum de communione sub una tantum specie?*

Communio sub utraque specie Sacerdotibus celebrantibus necessaria est. Aliis vero fidelibus necessaria non est; tum quia non fuit a Christo præcepta, neque prohibita; tum quia totus sub quaque specie Christus sumitur. Quisque tamen suæ Ecclesiæ ritum servet. Vide Trid. sess. 21. cap. 1. 2. et 3. can. 1. 2. 3. et 4. Bened. XIV. de Sacrificio Missæ §. 356. et seq.

---

assiduæ, delirii etc. quare in dubio ad experiendum antecedenter detur particula non consecrata.

Congruum est sine armis ad Eucharistiam accedere.

Sacerdos communicans more laicorum debet esse stola indutus, sed probabilius sub veniali.

3.° Quod ad jejunium attinet dicetur in append. IV. sect. III.

4.° Quod spectat ad corporis puritatem. Utrum sit licitum ad Eucharistiam accedere eodem die quo habita est copula maritalis, non convenit inter Theologos. Aliqui absolute dicunt esse veniale; alii absolute excusant ab ipsa veniali culpa. Probabilius dicendum esse veniale, si petita sit copula causa voluptatis; a qua venialitate excusat quævis honesta causa communicandi, ut esset specialis devotio, aliqua indulgentia lucranda, occurrens solemnitas, scandalum vitandum, vel periculum notæ, alicujus damni etc. Si vero sit copula petita ob honestum finem, nempe ad filios procreandos, ad vitandam incontinentiam etc. aut sit reddita copula, merum est consilium, nulla vero obligatio abstinendi a Communione, *ex can.* Vir cum propria 7. *caus.* 33. *q.* 4. Quare conjux communicaturus honestis precibus alterum roget, ut a petendo se abstineat: at si communio sit frequens, puta singulis festis, potest reddere sine hac rogatione. Post Communionem autem eodem die reddere nulla est culpa: consilium est se a petendo abstinere.

Pollutio involuntaria, si nullam relinquit perturbationem, a Communione non impedit, quidquid aliqui dicant: manente perturbatione erit veniale ad Eucharistiam accedere; et ne veniale quidem, si homo conetur eam compescere. Item est, si ex causa venialiter culpabili pollutio provenerit. Si vero pollutio fuerit voluntaria, probabilius sub veniali tantum est a Communione abstinendum: intelligitur post acceptam absolutionem.

Ex probabiliori et communiori sententia possunt mulieres tempore menstrui communicare.

Quomodo sit Eucharistia asservanda; quid agendum, si decidat; et quid faciendum de fragmentis, videatur in rubricis Missalis, et Ritualis Romani.

CAPUT II.

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRIFICIUM.

SECTIO I.

DE NOTIONE ET ESSENTIA HUJUS SACRIFICII.

127. *Quid est Sacrificium?*

Duplici sensu potest Sacrificium sumi, lato, et stricto. Lato seu improprio sensu sumtum Sacrificium est quodlibet bonum opus in Dei honorem et cultum. Stricto seu proprio sensu sumtum, definitur « Oblatio externa soli Deo facta, qua ad agnitionem humanæ fragilitatis, et divinæ majestatis per legitimum ministrum » res aliqua sensibilis et permanens ritu mystico vel mactatur, vel » consumitur, vel exterius mutatur. »

✠ 128. *Explica hanc definitionem Sacrificii stricte sumti?*

Dicitur 1. *oblatio externa*, ut distinguatur ab actibus religionis internis, qui lato modo vocantur sacrificium. 2. *Soli Deo facta*, quia Sacrificium semper habitum est uti signum supremi cultus soli Deo debiti. 3. *Qua ad agnitionem humanæ fragilitatis, et divinæ majestatis*, quoniam per sacrificium Dei excellentiam, nostramque ab eo dependentiam atque subjectionem contestamur. 4. Dicitur *per legitimum ministrum*, quia nonnisi a ministris ad id ordinatis potest sacrificium offerri. 5. Denique dicitur *res aliqua sensibilis et permanens ritu mystico vel mactatur, vel consumitur, vel exterius mutatur*; nam ad designandum Dei supremum in creaturas dominium res oblata destrui debet vel mactatione, vel consumptione, vel saltem externa quadam mutatione.

129. *Quodnam est novæ legis Sacrificium?*

Est Missa.

130. *Unde factum est verbum Missa?*

A *mittendo;* tum quia in ea una cum oblatione Corporis et Sanguinis Christi ad Deum mittuntur Ecclesiæ preces et vota; tum quia in ea olim varia solemni missione populus mittebatur, seu dimittebatur, sicut et hodie fit, peracto Sacrificio.

131. Estne Missa verum Sacrificium stricte sumtum?

Maxime, et est de fide, uti constat ex Scripturis, tam veteris quam novi testamenti, ex perpetua universali traditione, ex Conciliis, et novissime ex Trid. tota sess. 22. ac præsertim can. 1. ubi definivit: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium Sacrificium .... anathema sit*: nam idem Christus in Cruce semel oblatus, rursus in Missa offertur ministerio Sacerdotum.

132. Quis hoc sacrificium instituit?

Christus Dominus in novissima cœna, cum Apostolis dixit *Hoc facite in meam commemorationem* (y).

133. Quomodo sub speciebus panis et vini Crucis immolatio repræsentatur?

Quia separata consecratio corporis et sanguinis Christi sub specie panis et vini realem repræsentat ejusdem corporis et sanguinis separationem in Cruce factam.

134. Num hæc repræsentatio oblationis antea factæ in Cruce, quæ in altari non est realis immolatio, potest dici verum sacrificium?

Maxime; nam, ut docet Tridentina Synodus sess. 22. cap. 2. *in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit ...... una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa;* scilicet quod in Cruce oblatio fuit cruenta, in altari est incruenta. Immo aliquo modo habetur in altari realis immolatio; tum quia vi verborum consecrationis sanguis separatur a corpore; tum quia per communionem, consumptis speciebus, Christus desinit esse in statu Sacramentali. Quare nonnisi accidentaliter differt a Sacrificio Crucis, nempe quoad modum offerendi.

135. Quænam Missæ pars est essentialis Sacrificio, seu in quo consistit essentia Sacrificii Missæ?

Alii consistere volunt in sola sumtione; quia in illa tantum habetur destructio seu immutatio victimæ. Alii in oblatione; cum Sacrificium aliud non sit, quam oblatio. Alii communius consistere docent in sola consecratione; quia in consecratione et oblatio in actu

---

(y) *Matth. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11. etc. Trid. sess. 22. cap. 1. et alibi.*

exercito habetur, et destructio seu immutatio victimæ, dum vi verborum corpus Christi a sanguine separatur. Alii denique sustinent, et forte probabilius, essentiam hujus Sacrificii consistere partialiter in consecratione, partialiter in sumtione; nam in consecratione ponitur victima; et in sumtione vere et realiter quodammodo consumitur, dum destruitur Sacramentalis Christi existentia. De cetero negari nequit saltem ad Sacrificii integritatem sumtionem spectare.

136. Quid censendum de oblatione hostiæ et Calicis, quæ ante consecrationem post offertorium peragitur?

Hujusmodi oblatio ad ritum tantum pertinet, non ad essentiam Sacrificii, quidquid aliqui sentiant: non enim in oblatione panis et vini, sed Corporis et Sanguinis Christi consistit Sacrificium Missæ.

137. In ea oblatione hostiæ, quæ fit post offertorium, quo sensu Sacerdos panem nondum consecratum vocat immaculatam hostiam?

Verba ista non ad simplicem panem, sed ad Christi corpus, in quod panis est convertendus, referuntur: non enim simplex panis illos effectus producere potest, qui in ea oblatione enumerantur.

138. Estne ad Sacrificium necessaria utriusque speciei consecratio?

Maxime, saltem necessitate præcepti; et quidem divini, quidquid pauci dicant: sic enim ipse Christus fecit, et sic faciendum præcepit, cum inquit *Hoc facite etc.* et aperte docuit Trid. sess. 22. cap. 1. Immo ex communiori et probabiliori sententia ad ipsum sacrificii valorem et essentiam pertinet: nam nonnisi per utriusque speciei consecrationem proprie exprimitur sanguinis effusio et a corpore separatio; quæ quidem requiruntur ad significandum cruentum Crucis sacrificium, cujus sacrificium altaris debet esse rememorativum (z 56).

(z) *Vide D. Thom. 3. p. q. 80. a. 12. ad 3. et alibi, Suar. Tournely. Lugunem. Pal. Sylv. Habert etc. Conc. Trid. loc. cit.*

(56) Hinc nullo modo licebit unam sine alia speciem consecrare: neque in hoc dispensare potest Summus Pontifex, quidquid aliqui opinentur.

SECTIO II.

DE PRÆSTANTIA, VALORE, ET FRUCTIBUS SACRIFICII MISSÆ.

139. *Quale est et quotuplex Sacrificium Missæ?*

Sacrificium istud, unicum in novo testamento, omnium veteris testamenti sacrificiorum differentias excellentius complectitur: hinc quadruplex est simul, *Latreuticum* nempe, *Eucharisticum*, *Impetratorium*, et *Propitiatorium*. Dogma est fidei quoad omnes partes ex Scripturis, perpetua traditione, et Conciliis constans (57).

140. *Quomodo Sacrificium Missæ est latreuticum?*

Quia hoc Sacrificio supremus latriæ cultus Deo exhibetur; non possumus enim per præstantiorem actum Deum colere et adorare, quam per Christi oblationem.

141. *Quo pacto est propitiatorium pro peccatis?*

Quatenus *hujus oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata, etiam ingentia, dimittit*, sunt verba Tridentini (a).

142. *Estne solum propitiatorium quoad remissionem culpæ, an vero etiam quoad remissionem pœnæ temporalis pro culpis jam remissis debitæ?*

Sacrificium istud idem cum sit ac Crucis, non solum est propitiatorium quoad culpas, sed etiam satisfactorium quoad pœnas temporales; quæ quidem satisfactio vi communionis Sanctorum extenditur etiam ad defunctos in Purgatorio degentibus, sicuti declaravit Tridentinum sess. cit. cap. 2. et can. 3.

143. *An omnibus æqualis gratia in culpæ remissionem, aut æqualis pœnæ temporalis remissio conceditur?*

Minime: nam ex communi Theologorum sententia etsi in se infiniti valoris sit Sacrificium istud, majores tamen vel minores producit effectus, prout erunt uniuscujusque dispositiones.

---

(57) Lege sis Trid. sess. cit. præsertim cap. 2. et can. 3.

(a) *Cit. sess. 22. cap. 1.*

144. Quomodo hoc sacrificium est eucharisticum, seu in gratiarum actione?

Quia nihil eo ad agendas Deo gratias pro acceptis beneficiis efficacius est; offertur enim idem Christus gratiarum fons. Propterea κατεξοχεν per antonomasiam *Eucharistia* vocatur.

145. Qua ratione est impetratorium?

Quoniam per Christum, qui in eo offertur, omnia bona possunt impetrari: nam si Deus ipsum Christum nobis dedit in hoc sacrificio offerendum, etiam cum illo omnia nobis donabit. *(58)*

146. Estne infinitus Sacrificii eucharistici valor?

Quoad hoc mirifice variantur DD. sententiæ. Præstat tamen dicere infinitum esse ejus valorem ex ipsa sua institutione, cum idem sit ac Sacrificium Crucis, ut supra diximus: at ejus effectus sunt finiti, non ratione ipsius Sacrificii, sed quia finita et capacitas et dispositio illorum est, pro quibus offertur (*b*).

147. Quinam est hujusce Sacrificii minister?

Primus ac præcipuus oblator atque Sacerdos est ipse Christus, ut jam diximus num. 134. Minister vero secundarius et externus est solus Sacerdos, ut supra diximus num. 120. Et valide conse-

---

(58) Ex dictis colligitur, quod hujus Sacrificii effectus ii sint 1.° Peccata remittit; at probabilius non immediate per se, ut Pœnitentiæ Sacramentum; sed mediate, impetrando nempe auxilium ad pœnitentiam, qua remittantur, *ex Trid. sess. 22. cap. 2. et ex D. Thom. in 4. dist. 12. q. 2. a. 2. q. 2. ad 4.* 2.° Immediate remittit peccatorum pœnas hominibus justis, pro quibus offertur, vivis, vel defunctis, *ex Trid. sess. 25. cap. 1. et ex D. Thom. 3. p. q. 79. a. 5.* 3. Sanctificantem auget gratiam. 4. Bona impetrat spiritualia, et etiam temporalia, quatenus animæ prosint, *Trid. sess. 22. cap. 2.*

Probabilius ex *opere operato* omnes prædictos effectus producit Missa, cum idem sit ac Sacrificium Crucis, neque hæc munda oblatio ulla possit indignitate aut malitia offerentium inquinari, ut ait Trid. cit. sess. 22. cap. 1.

Potest hoc Sacrificium offerri pro omnibus fidelibus vivis, etiam infantibus, vel energumenis, vel peccatoribus non excommunicatis quoad fructum impetrationis: an possit offerri pro excommunicatis, relege dicta in v. tract. num. 46. et 47. Probabilius potest offerri pro infidelibus.

Item licite et utiliter offertur pro Animabus in Purgatorio detentis, *Trid. sess. 22. cap. 2. et can. 3.* et verius ex opere operato, idest ex institutione Christi. Hinc notetur, Missam de *Requiem* magis prodesse, sed tantum ex parte orationum, *S. Thom. suppl. q. 71. a. 9. ad 5.*

(*b*) *D. Thom. 3. p. q. 79. a. 5.*

crat, etsi scelestus, degradatus, excommunicatus, ut alias diximus, præsertim in hoc tract. num. 32. (59)

148. *Nonne Ecclesia quoque, et fideles præsertim adstantes sacrificium istud offerunt?*

Offerunt sane per Sacerdotem fideles, immo tota Catholica Ecclesia; sicuti patet ex oblatione calicis, et verbis canonis *qui tibi offerunt*: solus tamen Sacerdos consecrat.

149. *Obligaturne Sacerdos aliquando Missam celebrare?*

Communior et tutior sententia tenet ex præcepto divino et ecclesiastico sub gravi obligari Sacerdotes pluries in anno, saltem nempe in festis solemnioribus, celebrare: ad hoc enim sunt ordinati (c). Parochi autem tenentur saltem in dominicis, et festis (d).

150. *Pro quibus offerendum est sacrificium?*

Pro Ecclesia catholica, pro ipso Sacerdote, pro circumstantibus, pro omnibus fidelibus vivis atque defunctis etc. sicuti explicatur in canone.

151. *Modum explica, quo ad tam multos sacrificii oblatio et fructus protendatur.*

Triplex a Theologis distinguitur Missæ fructus, generalis nem-

---

(59) Quid requiratur ut Sacerdos valide et licite consecret jam dictum est in num. 28. et sequent.

Hic nota ad validam consecrationem requiri, ut materia a consecrantis intentione sit aliquo modo determinata. Quare non valide consecrat, qui vellet consecrare partem tantum hostiæ, eam non determinando; vel ex pluribus particulis paucas tantum, eas non designando. Contra, quoniam communiter intendunt Sacerdotes, omnem consecrare materiam, quæ reperitur in corporali posita, sequitur omnem consecrari, etsi illam ignoraret Sacerdos; nisi alia sit peculiaris intentio. Unde si Sacerdos post consecrationem deprehendat duas esse hostias simul conjunctas, utramque ut consecratam sumat, *Miss. Rom. de defectu intent. n. 2.* consecratur Ciborium, Sacerdote advertente, in corporali positum, licet postea ad illud non advertat: et hoc probabiliter quoque, etiamsi, Sacerdote non advertente, sit Ciborium in corporali positum. E contrario probabilius non consecratur Ciborium extra corporale ex oblivione relictum. De fragmentis vero probabilius dicendum, consecrari ea tantum, quæ hostiis adhærent. Idem est de guttis vini.

Possunt, stante aliqua causa, puta ut adstantes communicent etc. licite consecrari particulæ post oblationem allatæ, oblatione mentaliter suppleta; et juxta aliquos etiamsi sit canon inceptus.

(c) Ita communiter cum D. Thom. *3. p. q. 82. a. 10. in corp.* ex Apostolo *Hebr. 5. 1.* ex verbis Christi *Luc. 22. 19.* ex Trid. *sess. 22. cap. 1. et sess. 23. de reform. cap. 14.* ex cap. *Dolentes* 9. de celebr. Miss. etc. ex decr. S.C. Concil. an. 1696. mense decemb. edito.

(d) *Trid. cit. sess. 23. cap. 14. Ben. XIV. tom. 9. lib 3. cap. 3.*

pe, specialis, et medius. Primus pertinet ad omnes fideles; sic enim vult Ecclesia, exigitque Communio Sanctorum. Secundus est proprius ipsius Sacerdotis, qui debet etiam pro semetipso sacrificium offerre pro peccatis suis etc. Tertius applicari potest cuicumque voluerit Sacerdos; sic constat ex communi Ecclesiæ consensu.

152. Quid requiritur, ut fructus sacrificii valide applicetur illis, quibus debet aut vult Sacerdos?

Requiritur Sacerdotis intentio, qua velit alicui sacrificium applicare, ut infra dicetur num. 200. et sequent.

153. Potestne Sanctis sacrificium offerri?

Minime, sed soli Deo, cum sit cultus latriæ soli Deo conveniens. Cum autem dicuntur Missæ de Sanctis, tunc sacrificium Deo offertur ad honorem Sanctorum.

154. Offerri ne potest sacrificium pro fidelibus mortuis?

Utique potest pro iis qui in Purgatorio sunt, ut jam diximus num. 142. et 150. Non vero pro damnatis, quorum sententia revocari nequit.

155. Pro quibus viventibus potest sacrificium offerri?

Pro omnibus, etiam peccatoribus qui sunt in communione Ecclesiæ. Prohibetur offerri pro infidelibus, et excommunicatis vitandis: licet tamen pro istis in Missa privatim orare. De excommunicatis toleratis quæstio est (60).

SECTIO III.

DE TEMPORE, LOCO, ALIISQUE REQUISITIS AD CELEBRANDUM SACRIFICIUM.

156. Quibus diebus licet Missam celebrare?

Omnibus diebus, excepta feria sexta majoris hebdomadæ: Feria vero quinta, et Sabbato ejusdem hebdomadæ una tantum licet Missa solemnis dici.

(60) Vide dicta in v. tract. num. 46.
Potest tamen pro infidelibus, hæreticis, schismaticis Sacrificium offerri per modum deprecationis, ut ajunt Theologi, idest ut ad veram fidem convertantur. Item potest offerri pro catechumenis, *cap.* Apostolicam 2. *de presbytero non baptizato.*

157. *Possuntne uno die plures Missæ celebrari ab eodem Sacerdote?*

Minime, sed una tantum: in Nativitate Domini tres Missæ permittuntur.

158. *Estne melius quotidie celebrare, an aliquando abstinere?*

Spiritui Ecclesiæ congruentius est quotidie celebrare, ob multiplices Missæ effectus; modo non fiat præcise ob stipendium aliudve temporale emolumentum.

159. *Qua hora licet celebrare?*

Non licet Missam celebrare ante auroram, vel post meridiem: at parum temporis, puta tertia horæ pars, non officit. Excipe, si adsit privilegium, vel necessitas, vel consuetudo, vel magna solemnitas, aliave gravis causa. In nocte Nativitatis Domini tantum prima Missa potest cani, ex variis decr. S. C. Rit. et noviss. edito 18. Decemb. 1702.

160. *Quo in loco est celebrandum?*

Nonnisi in Ecclesia, vel Oratorio, consecratis aut benedictis (e). Excipitur, si adsit privilegium, vel necessitas, v. c. si populum die festo templum non capiat, si diruta sit Ecclesia, si exercitus maneat in castris etc.

161. *Licetne celebrare in Ecclesia polluta?*

Non licet, nisi prius reconcilietur.

162. *Quomodo polluitur Ecclesia?*

Per homicidium voluntarium, per injuriosam effusionem sanguinis humani: per effusionem seminis humani mortaliter illicitam: per sepulturam infidelis, pagani etc. (61)

163. *Quid agendum Sacerdoti, si pollueretur Ecclesia, dum celebrat?*

Si polluatur ante canonem inceptum, statim debet ab altari recedere: si post inceptum canonem, prosequatur Missam; sed facta sumtione, reliqua in sacristia perficiat.

164. *Quænam requiruntur ad sacrificium celebrandum?*

1. Altare lapideum, vel saltem cum lapide sacro in medio, tribus mappis coopertum. 2. calix et patena consecrata, cum cor-

(e) *Trid. sess. 22. in decr. de observ. etc. in celebr. Miss.*

(61) Relege dicta in IV. tract. a num. 121. ad num. 126.

porali, palla, purificatorio etc. 3. Duplex lumen ex cera, Crucifixus, Missale, vestes sacræ, minister, aliaque in rubricis præscripta.

SECTIO IV.

DE MODO CELEBRANDI, ET DISPOSITIONIBUS SACERDOTIS.

165. Quinam est modus celebrandi sacrificium Missæ?

Ex Tridentino (*f*) Sacerdotes debent omnem operam ac diligentiam ponere, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie sacrificium istud peragatur.

166. Quid requiritur ad interiorem munditiam, et puritatem cordis?

Requiritur cor a peccatis mundum, et puritas intentionis.

167. Explica munditiam a peccatis.

Sacerdos celebraturus non solum debet esse a mortalibus mundus, sed etiam, quoad fieri potest, a venialibus, omnique terreno affectu expurgatus; ut cor vacuum exhibeat Deo gratiæ donis implendum.

168. Quid agendum Sacerdoti celebraturo, si gravi culpa inquinatus Confessarii copiam non habeat?

Debet omnino a celebratione abstinere sine prævia confessione, etiamsi contritus sibi videatur; sic enim declaravit Concilium Tridentinum (*g*). Si autem vera urget non ementita necessitas celebrandi, debet actum contritionis elicere, atque quam primum confiteri (*h*).

169. Estne vera obligatio confitendi quam primum in Sacerdote ejusmodi?

Maxime, sicuti constat ex verbis Concilii, et damnata fuit ab Alexandro VII. propositio 38. quæ ajebat hanc Tridentini dispositionem esse consilium, non præceptum. Illud autem *quamprimum* intelligendum est inter triduum, ut ajunt Theologi; non sane cum Sacerdos *suo tempore confitebitur*, sicut dicebat alia propositio 39. ab eodem Pontifice proscripta.

(*f*) *Loc. cit.* (*g*) *Sess. 13. cap. 7. et can. 11.* (*h*) *Cap. cit.*

170. *Explica puritatem intentionis.*

Ut rectos fines habeat; neque moveatur unice vel principaliter ob stipendium, aliudve emolumentum temporale.

171. *Quinam sunt recti fines, ex quibus celebrantis intentio pura et utilis futura est?*

Omnes reducuntur ad illos quatuor fines seu effectus oblationis istius, de quibus fuit sermo a num. 139. ad 145. scilicet ut celebret ad supremum cultum Deo exhibendum, pro venia obtinenda, pro gratiarum actione, et pro beneficiis impetrandis, malisque avertendis.

172. *Explica nunc exteriorem devotionem ac pietatem, quam in Sacerdotibus celebrantibus Tridentina Synodus exigit.*

Vera devotio ac pietas externa ab interna sejungi non potest. Interna consistit in piis erga Deum affectibus. Ex interna prodibit externa, ut nempe omnes exteriores actus ad modestiam, gravitatem, omniaque servanda pro tanto sacrificio præscripta componantur.

173. *Quæ congrua præparatio ad Missam a Sacerdote præmittenda?*

Proxima est, ut preces in Missali descriptas ex intimo affectu persolvat. Sed vita sancta debet esse præcipua et continua præparatio.

174. *Estne ante Missam præmittendum Matutinum cum Laudibus?*

Maxime; id enim præscribunt rubricæ. At ex communiori et probabiliori sententia veniale est ante matutini recitationem celebrare: a quo quælibet excusat mediocris causa, e. g. commoditas studii, itineris etc. si populus expectet etc. *Ben. XIV. de Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 13.*

175. *Explica nunc modum Missæ celebrandæ.*

Sacerdos vestibus sacerdotalibus indutus gravi modestoque incessu accedat ad altare: clare, distincte, et ferventer verba proferat: cæremonias exacte decoreque servet: in Missa peragenda, pios affectus, breviter quidem, in se excitet: tantaque modestia omnia peragat, ut fideles adstantes ad pietatem et devotionem moveat (62).

(62) De vestibus, instrumentis, ritibus etc. vide præscripta in rubricis, præsertim in Missali Romano: cujus rubricæ utrum sint directivæ tantum, an etiam præceptivæ, quæstio est. Probabilior tamen sententia tenet, rubricas, quæ servantur intra Mis-

176. Quænam esse debet gratiarum actio post Missam?

Ut Sacerdos tempore, non tam modico, cum Christo hospite moretur, interim in gratiarum actione, postulationibus, aliisque piis actibus se exerceat.

SECTIO V.

DE STIPENDIO MISSÆ: ET VARIA OBLIGATIONE INDE EMANANTE.

177. *Estne licitum Missæ stipendium, et quo jure percipi potest?*

Maxime; et percipi potest jure ac titulo sustentationis; cum sit stipendium oblatio voluntaria a fidelibus facta ad ministros sustentandos; et ex Apostolo 1. Cor. 9. 13. *qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant*: idque probatur ex universæ Ecclesiæ praxi, et omnium Theologorum consensione (*i**).

178. Si ita est, licebit ergo Missam dicere pro lucrando stipendio in subsidium vitæ?

Minime licet Missam celebrare præcise ob lucrum, neque stipendium accipere quasi pretium Missæ: id enim turpissima esset simonia, cum sacra gratis sint præstanda (**). Stipendium est a Sacerdote in sustentationem vitæ accipiendum, ut altari serviat; non vero serviendum est altari, ut stipendium accipiat (*k*).

---

sam, præceptivas esse, et obligare sub gravi, nisi excuset parvitas materiæ; quod clare probatur ex Trid. sess. 7. can. 13. et ex bulla *Quo primum* S. Pii V. in ejusdem Missalis fronte apposita.

Sic etiam mortale est parvas cæremonias intra Missam omittere in notabili parte: quare merito non excusatur a mortali Sacerdos infra quadrantem Missam absolvens; nam impossibile est infra quadrantem Missam, etiamsi breviorem, perfici, quin multa omittantur, vel mutilentur de verbis, aut de cæremoniis; ne quid dicamus de gravi irreverentia, et scandalo. Rubricas vero extra Missam servandas directivas tantum esse docet laudata sententia. Nonnulli tamen volunt esse veniale omittere manuum lotionem ante Missam, vel omnes orationes in vestes induendo.

(i) *S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 2. in corp.*

(*) Olim in Missa panem et vinum, aliaque id genus fideles offerebant, ut ex his panis et vinum ad Eucharistiam desumeretur, et reliquum alendis Clericis et pauperibus inserviret: temporis processu istorum loco nummi oblati sunt. Ex hoc originem habet hodiernum Missæ honorarium, seu stipendium.

(**) *Gratis accepistis, gratis date* ait Servator Matth. 10. 8.

(k) *D. Thom. ibid.*

179. Possuntne Sacerdotes divites pro Missis stipendia accipere?

Maximè, quidquid aliqui opinentur; tum quia id hodie permittitur ex universali Ecclesiæ consuetudine; tum quia quisque operarius, etsi dives, dignus est mercede sua (*l*).

180. Quo sensu offerentibus stipendium sine vitio peculiariter applicari debet sacrificium?

Tanquam pro benefactoribus, pro quibus Deus et Ecclesia peculiariter orari jubent.

181. Quodnam stipendium a celebrantibus accipiendum?

Illud quod cujusque diœcesis statuto, vel approbata consuetudine taxatum est. Licet tamen majus accipere stipendium sponte oblatum.

182. Qua obligatione Sacerdos adstringitur ad sacrificium peculiariter offerendum pro iis, a quibus stipendium accepit?

Iste non potest ex justitia acceptum stipendium retinere, nisi pro dantibus Missas celebret; dantes enim non intenderunt, nisi sub ea conditione, stipendii dominium in Sacerdotem transferre.

183. Si Sacerdos, accepto stipendio, Missam non celebret pro eo, qui illud dedit, quod peccatum committit, et utrum ad restitutionem teneatur?

Juxta aliquos peccat graviter; quia in casu materiæ gravitas non ex accepto stipendio est mensuranda, sed ex fructu, quo privatur stipendium tradens. Juxta alios peccat leviter; nam damnum illatum per se non videtur grave, cum redimi possit alio levi stipendio (63). Quod autem ad stipendii restitutionem teneatur, per se patet.

184. Quid dicendum de Sacerdote, qui, accepto stipendio, Missas differt celebrare?

Graviter peccare, si diu differt; ut habetur ex variis decr. S. C. Concil. auctoritate Urbani VIII. et bulla *Nuper* Innoc. XII. confirmatis. Excipitur si aliud constat vel præsumitur de voluntate tradentis stipendium (64).

(*l*) *1. Cor. 9. D. Thom. Quodlib. 7. a. 10. aliique communiter.*

(63) Probabilius tamen leviter peccat omittens unicam Missam gratis promissam, nisi expresse sub gravi se intendit obligare. At graviter peccat Missam omittens ex voto, vel ex superioris præcepto debitam.

(64) Nota. Certum est, non posse differri Missam pro urgente necessitate petitam,

185. *Potestne Sacerdos pro duplici stipendio unam celebrare Missam, alterutri petenti applicando specialissimam fructus partem ipsimet celebranti correspondentem?*

Nequaquam: et in contrarium duæ adsunt ab Alex. VII. damnatæ propositiones (*): nam sicut ex Christi institutione nequit alteri applicari fructus generalis, ita neque iste specialissimus. Idque, etiamsi exigua sint stipendia, sicut habetur in decreto S. C. Conc. jussu Urbani VIII. edito, et bulla *Nuper* Innoc. XII. confirmato.

186. *An sit licitum pacisci de Missarum stipendio?*

Communiter affirmant DD. (contra aliquos), modo pactum sit de justo stipendio secundum taxam, vel consuetudinem, et vitetur scandalum: licet enim non uti pretium Missæ detur stipendium; attamen, cum tribuatur ex justitia pro Sacerdotis sustentatione, nihil obstat quod possit in pactum deduci.

187. *Potestne ille, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato ei minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta?*

Nequaquam, uti constat ex cit. decr. S. C. ex prop. 9. ab Alex. VII. proscripta (**), et ex epist. encyclica *Quanta cura* Bened. XIV. 30. Jun. 1741. emanata: nam damnabilis esset quæstus ab Ecclesia removendus. Qui hoc agit, ipso facto incurrit excommunicationem, si est laicus, suspensionem, si est clericus vel Sacerdos, Pontifici reservatas, *ex laudata encycl.* Excipitur tamen 1. si quis majus illud daret stipendium, non tam intuitu Missæ, quam amicitiæ, gratitudinis, paupertatis etc. 2. Si Sacerdos, cui committitur

puta pro felici partu, periculo evadendo etc. vel si dans eleemosynam tempus statuit. Extra casus prædictos inter varias probabilis sententia tenet, posse differri per duos menses Missas pro vivis, et per unum mensem Missas pro defunctis; nisi aliud præsumitur de voluntate tradentis.

(*) Prop. 8. quæ dicebat: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.* Prop. 10. quæ ajebat: *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam cum juramento danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

(**) *Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

celebratio, liberaliter et omnino sponte excessum condonet: at ex cit. encycl. minime licet Sacerdotem rogare ut remittat, vel ab eo quærere an consentiat. 3. Beneficiarius in Missis pro beneficio debitis, nisi in fundatione beneficii aliud sit cautum, ex dicto S. C. decr. 4. Capellanus etiam amovibilis, *modo pro capellania certi reditus sint annuatim constituti, et perpetuo Capellano assignati; secus vero, si hujusmodi Capellano pro qualibet missa celebranda certa detur eleemosyna*, sunt verba decr. S. C. Conc. 15. Martii 1745. Idem dicendum de illo, cui commissa est celebratio Missæ perpetuæ; et idem de Sacerdote, cui commissa est celebratio Missarum ex legato ad vitam ipsi relicto: decreta enim prohibentia loquuntur tantum de missis manualibus (65).

188. An ille, qui extra dictos exceptionis casus partem retinet stipendii, ad restitutionem teneatur?

Probabilius tenetur; injuste enim illam partem retinet contra dantis voluntatem, quæ voluntas est ut tali stipendio celebretur Missa.

189. Cuinam debet fieri ista restitutio?

Ipsi qui Missam celebravit, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, ex eadem ratione.

190. Possuntne Ecclesiarum administratores aliquid ex Missarum eleemosynis retinere pro expensis luminum, altaris, inservientium etc?

Possunt juxta præcisum expensarum valorem, modo nullos alios habeant reditus (*m* 66).

---

(65) Non potest, quidquid aliqui dicant, procurator vel executor testamenti excessum sibi retinere, faciens celebrare Missas sibi commissas, ubi minor est taxa.

Probabile est posse Sacerdotem eleemosynas colligentem aliquid moderatum pro suo labore retinere, si Missæ ei non tradantur, ut ab ipso celebrentur, et modo stipendia, quæ colligit, non sint præscripta, data etc. pro quaque Missa.

Quæstio est, an liceat inter Sacerdotes permutare Missas diversi stipendii, quoque retinente stipendium acceptum: e. g. Titius habet stipendium quatuor carolenorum, et Ascanius duorum; Titius celebrat Missam Ascanii, et retinet quatuor carolenos; Ascanius Titii Missam celebrat, et duos retinet carolenos.

(*m*) *Decr. cit. S. C. Conc.*

(66) At isti administratores, rectores etc. possunt Missas non admittere in sua Ecclesia, nisi solutis utensilibus etc. *ex alio decr. S. C. 6. Julii 1726.*

191. Pro quo tenetur Sacerdos, qui stipendium accepit, vel capellaniam etc. habet, Missam applicare?

Juxta intentionem illius, qui stipendium dedit, vel capellaniam etc. fundavit (67).

192. Sacerdos obligatus ratione beneficii, capellaniæ etc. quotidie celebrare, potestne aliquando vacare a celebratione: et si possit, illis diebus potestne pro se vel pro aliis applicare: et si applicet pro aliis, an possit stipendium accipere?

Modo non constet de contraria fundatoris voluntate, potest Sacerdos aliquoties celebrationem omittere devotionis et reverentiæ causa: item potest pro seipso, vel conjunctis, vel amicis charissimis, vel benefactoribus quinquies aut sexies in anno applicare; modo non accipiat stipendium: ita communiter (68).

193. Peccatne Sacerdos, qui in Missa celebranda non servat conditiones a fundatore constitutas, puta celebrat in alia Ecclesia, altari, hora etc?

Peccat graviter, modo id faciat sæpius (puta quater vel quinquies in mense) et sine causa, et sine dispensatione, et modo ob gravem causam sint istæ conditiones appositæ.

194. Teneturne Parochi pro populo Missam applicare?

Parochi, aliique curam Animarum habentes singulis Dominicis, aliisque festis diebus pro populo sibi commisso obligantur Missam applicare; etiamsi congruis destituantur reditibus, et quavis immemorabili consuetudine non obstante: uti eruitur ex Trid. sess. 13. de reform. cap. 1. et est a Bened. XIV. statutum encyclica *Cum semper* 29. Augusti 1754. (69)

---

(67) Beneficiarii, Capellani, legatarii etc. qui ratione beneficii, capellaniæ etc. obligantur Missas celebrare, pro ipso beneficio, capellania etc. tenetur applicare, nisi aliud exprese sit cautum, *ex variis decr. S. C.* Idem est de Capellanis confraternitatum, Monialium etc. qui celebrant, ut confratres, Moniales etc. Missam audiant, *ead. S. C. 6. Febr. 1627.*

Ex veriori sententia nulla datur præscriptio circa Missarum onera, et conditiones a fundatoribus appositas, *ex Trid. sess. 25. de reform. cap. 5.*

(68) Constat de contraria voluntate, si in fundatione expresse cautum est, ut Missa celebretur per seipsum, vel per alium, *ex declar. S. Congregat. 30. Maji 1699.*

(69) At si adeo sit Parochus pauper, ut ex Missarum eleemosynis vivere cogatur, potest cum eo Episcopus dispensare, ut ipse possit diebus festis Missas applicare

195. Quid de Missa conventuali, quæ nempe a capitulis, collegiatis, aliisque cleris canitur?

Semper applicanda est pro ipsarum Ecclesiarum benefactoribus in genere, ex ead. encycl. (70)

196. Possuntne Missæ celebrandæ ratione beneficii, capellaniæ etc. ad minorem numerum reduci?

Maxime, stante justa causa: sed tantum a Sede Apostolica, ut patet ex decr. S. C. Conc. jussu Urbani VIII. edito, et ab Innoc. XII. confirmato, et iterum confirmato per aliud decr. ejusd. C. die 20. Julii 1682. (*)

197. Si reditus sint imminuti, potestne Capellanus a se minuere Missarum numerum?

Si absque sua culpa omnes deficiant reditus, non amplius tenetur Missas celebrare, ex decr. ejud. S. C. 7. Junii 1686. et 8. Augusti 1705. Si reditus deficiant in parte, distinguo: si fundator pro quaque Missa congruum designavit stipendium, potest Capellanus Missas minuere, sicut teneretur augere, si reditus augerentur; tunc enim tot sunt Missæ applicandæ, quot præbent reditus designata stipendia: si vero fundator Missarum statuerit numerum absque stipendii determinatione, tunc quæstio est: alii volunt ad S. Sedem esse recurrendum ex cit. decr. alii tenent posse Capellanum a se Missas reducere (juxta stipendium currens); talis enim præsumitur fuisse fundatoris voluntas; quæ quidem esset injusta, si vellet Capellanum cogere Missas celebrare stipe minori justo (71).

---

pro eleemosynas offerentibus, modo intra candem hebdomadam Missas omissas pro populo applicet, *ead. encycl.*

(70) Si mos sit in aliqua Ecclesia duas canendi Missas conventuales, ambæ sunt pro benefactoribus dictis applicandæ, *ead. encycl.*

N. B. 1. In prædictis Ecclesiis Parochus Dominicis aliisque festis pro populo missam applicare debet a conventuali distinctam, *ead. encycl.* 2. In nostro regno festis, in quibus olim aderat obligatio audiendi Sacrum, nunc quoque tenentur Parochi pro populo missam applicare, *decr. S. C. Rit. 18. Octobris 1818.*

(*) Justæ causæ sunt paucitas Sacerdotum, stipendii tenuitas, augumentum stipendii currentis, necessitas Ecclesiæ vel Monasterii pro fabrica, victu etc.

(71) Melius est in casu ad Episcopum recurrere, vel saltem agere judicio viri docti et pii, ut hallucinationis vitetur periculum. Vide Ben. XIV. de Syn. lib. 13. cap. ult. num. 8. et sequent.

198. Si pro pluribus sacrificiis dentur plura stipendia minora taxa regionis, potestne Sacerdòs ea ad taxam redigere, et paucioribus Missis taxæ et reductioni respondentibus satisfacere?

Negative; nam ex decr. S. Cong. ab Urbano VIII. approbato tot sunt Missæ celebrandæ, quot sunt accepta stipendia; et ista est dantium intentio.

199. Sacerdos habens capellaniam quotidianam, si infirmitate impediatur, teneturne per alium Missas supplere?

Minime, nisi sit a fundatore expressum; ita communiter ex præsumta fundatoris honesta voluntate: modo brevis sit infirmitas, puta per 15. dies ex declaratione S. C. Concil. 17. Nov. 1695. alii non improbabiliter extendunt usque ad mensem, et alii ad duos quoque menses.

200. Quando facienda est applicatio?

Ante, vel in ipsa consecratione; requiritur enim ut jam adsit applicatio in ipso sacrificio. Quare non valet alicui applicare Missam jam celebratam, vel post consecrationem.

201. Sufficitne applicatio habitualis, idest aliquando habita et non revocata?

Maxime, ex veriori sententia; nam applicatio Missæ se habet per modum donationis verbalis, quæ semel facta valet donec revocetur; idem constat ex praxi.

202. Licetne, et valet anticipate sacrificium offerre pro eo, qui primus stipendium dabit, morietur etc?

Talis applicatio licita non est, ex prohibitione Clement. VIII. quam promulgavit Paulus V. die 15. Nov. 1605. Probabilius est etiam invalida, quando tempore applicationis non adhuc extat causa, pro qua offerens stipendium postulabit missam; tunc enim effectus Missæ suspensus remanere deberet.

203. Valetne applicatio sub conditione?

Sub conditione de præterito vel de præsenti valet, modo vera sit conditio: sub conditione de futuro contingente non valet, ex ratione superius allata.

204. Qui a pluribus plura accipit stipendia pro totidem missis, satisfacitne missas istas pro ipsis in confuso applicando?

Inter varias sententias ex meliori ratione ita distinguendum vi-

detur: Si singulas missas pro singulis indeterminate applicat, videtur non satisfacere; cum nulla habeatur intentio applicandi fructum determinatæ personæ. Si vero unamquamque missam pro illis omnibus applicat, tunc satisfacere videtur; nam, cum sit divisibilis Sacrificii fructus, unusquisque eorum in singulis missis suam accipit partem; et sic unicuique tribuitur quod debetur (72).

CAPUT III.

DE PRÆCEPTO COMMUNIONIS.

205. *Præceptum suscipiendi Sacram Eucharistiam est divinum, an ecclesiasticum?*

Quoad substantiam est divinum, quod constat ex ipsius Christi verbis Joan. 6. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis*. Quoad determinationem autem est ecclesiasticum.

206. *Quando obligat hoc præceptum prout est divinum?*

Obligat in quovis probabili periculo mortis; quia est Corpus Christi nostræ æternæ salutis viaticum: et pluries in vita, ut anima nutriatur, et spirituales vires recipiat.

207. *Licetne eidem infirmo iterum ministrare Viaticum?*

Maxime, immo pluries in eadem infirmitate; nam hoc Sacramentum ægrotis datur non solum ad satisfaciendum præcepto, sed et in præsidium contra tentationes, quæ magis urgent tempore mortis. Quare Parochus nequit se negare: aliter potest ab Episcopo etiam pœnis compelli; uti testatur Bened. XIV. de Synodo diœces. lib. 7. cap. 12. n. 4. et 5.

208. *Quantum temporis spatium intercedere debet, ut iterum in eadem infirmitate possit infirmo Eucharistia præberi?*

Non convenit inter Theologos: communior sententia censet intercedere debere octo dies circiter. Aliqui cum Layman etiam in

---

(72) De Altari privilegiato vide in append. de Indulgentiis in fine.
Pro præcepto audiendi Sacrum adest sectio 1. in III. appendice.

sequenti die Viaticum repeti permittunt, si videatur instare mortis periculum; præcipue si ægrotus, cum erat sanus, frequenter consueverat Eucharistiam degustare.

209. *Qui paucis ante diebus communicavit, teneturne Viaticum sumere, superveniente periculo mortis?*

Quæstio est: probabilior tamen sententia docet teneri: nam hoc divinum mandatum ex interpretatione Ecclesiæ præcise obligat instante periculo mortis; ergo non impletur per Communionem ex devotione susceptam, cum non adhuc aderat mortis periculum; quia satisfieri non potest præcepto antequam ejus urgeat obligatio.

210. *Quid si quis mane communicavit ex devotione?*

Etiam dissident inter se Doctores. Probabilius distinguendum est cum B. A. Ligorio inter morbum naturalem, et causam violentam mortis: si periculum instat ex morbo naturali, non est iterum eadem die sumenda Eucharistia; periculum enim jam aderat, etsi non erat notum: si vero periculum instat ex causa violenta, puta ex vulnere accepto, ex lapsu etc. iterum sumenda est Eucharistia ob rationem superius allatam.

211. *Quoties in vitâ sumenda est Eucharistia?*

Hoc determinatum est ab Ecclesia, et præcipue in Conc. Lateran. IV. can. 21. *Omnis utriusque sexus fidelis*, et a Trid. confirmatum sess. 13. can. 9. ut omnis fidelis saltem semel in anno tempore Paschatis sumat Eucharistiam in propria Parœcia.

212. *Qua ætate incipiunt fideles hoc præcepto obligari?*

Quando pervenerint ad annos discretionis: quæ apparere solet inter annum decimum, et decimum quartum; uti ajunt Doctores.

213. *Quid venit nomine Paschatis?*

Ex jure communi venit tempus a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive: * de jure municipali extenditur usque ad Dominicam Sanctissimæ Trinitatis inclusive, uti ex rescripto anno 1745. obtento. *

214. *In quanam Ecclesia peragenda est Communio, ut satisfiat præcepto?*

In propria Parœcia; vel in alia Ecclesia, de licentia tamen proprii Pastoris: aliter peccatur graviter, et non satisfit præcepto,

sicuti patet ex cit. Conc. et ex communi consuetudine, et variis S. C. declarationibus (73).

215. *Num per sacrilegam Communionem satisfiat præcepto?*

Minime; quia est modus intrinsecus ad Eucharistiam requisitus eam recipere in statu gratiæ; et oppositum fuit ab Innoc. XI. damnatum in prop. 55. (*)

216. *In quam pœnam incidit ille, qui in Paschate non servat hoc præceptum?*

Incidit in interdictum ab ingressu Ecclesiæ ferendæ sententiæ nemini reservatum, uti ex citat. Conc.* De jure nostro interdictum est latæ sententiæ Ordinario reservatum, uti in 7. casu tabellæ. *

217. *Qui tempore Paschali non adimplevit hoc præceptum, teneturne illud adimplere in reliqua anni parte?*

Maxime, quidquid aliqui dicant: tum quia hoc præceptum duas obligationes continet, nempe communicandi semel in anno, et hoc faciendi tempore Paschali; quarum una præterita, remanet altera: tum quia tempus paschale est designatum non ad terminandam obligationem, sed ad urgendam impletionem.

218. *At si quis non sumpserit Eucharistiam tempore paschali, et ne postea quidem eam sumpserit in reliqua anni parte, utrum peccet, et in interdictum incidat?*

Iste si sua culpa non satisfecit præcepto tempore paschali, jam peccavit, et in interdictum incidit: et postea non comunicando peccat tantum, at non incidit denuo in interdictum; nam pœna interdicti statuta est pro præcepto paschali, non vero pro præcepto annuali. Si autem sine sua culpa, sed quia legitime impeditus, non adimpleverit hoc paschale præceptum, non peccavit, nec incidit in interdictum; quia legitime impedito non currit tempus: at si post-

(73) Ubivis Sacerdos celebrans satisfacit præcepto: si non celebrat eo tempore; tenetur in propria Parochia communicare, ut ceteri laici.

Si quis ante tempus paschale communicaverit, iterum tenetur eo tempore communicare.

Qui prævidet tempore paschali se impediendum, non tenetur prævenire, quidquid aliqui dicant: contra tenetur, si reliqua quoque anni parte prævideat esse impediendum; modo non adhuc eo anno communicaverit.

Quomodo computatur annus, dicetur in sequenti tract. cap. ult. num. 213.

(*) Verba erant *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

ea in reliqua anni parte non sumat Eucharistiam, peccat, violans annuum præceptum: utrum vero incidat in interdictum quæstio est: alii affirmant; quia pro isto tempus paschale putatur extensum ad reliquam anni partem, et pro ipso adhuc viget præceptum paschale; ideoque non communicando est verus præcepti paschalis violator, quare in pœnam incidit: alii vero probabilius negant; nam præceptum paschale est onus illius temporis, quo elapso, non amplius viget præceptum.

* 219. *An ille qui non communicans tempore Paschatis accipit schedulam fraudulenter, ut fidem exhibeat Parocho de peracta communione, incidat in aliquam pœnam?*

Incidit in excommunicationem nostro Ordinario reservatam, ut patet ex 14. casu cum excommun. reserv. in tabella (*).

220. *Quænam est materia hujus casus?*

Dolose ab alio accipere, vel dare, in fraudem accommodare hasce schedulas, aut quomodocumque cooperari consilio, auxilio, mandato etc.

221. *An culpa lata sufficiat ad hunc casum incurrendum?*

Minime; sed requiritur fraus, vel dolus.

222. *An qui casu invenit schedulam, et eam Parocho exhibet, incidit in casum?*

Minime; sed requiritur, ut ab aliis accipiat.

223. *An qui extra tempus paschale accipit, dat etc. schedulam, incidat in casum?*

Maxime, dummodo accipiat, det etc. ob finem expressum.

224. *Utrum qui sagrilege communicat, et accipit schedulam causa exhibendi fidem Parocho, incidat in casum?*

Nonnulli affirmant; quia habetur dolus et fraus: alii contrarium docent, pœna enim est statuta contra non communicantes.

225. *Quinam debet esse finis, ut quis accipiens, dans etc. incidat in casum?*

Causa exhibendi fidem Parocho de paracta communione.

(*) En verba casus: *Qui in Paschate non communicantes ab aliis dolose accipiunt schedulas, seu chartellas, quæ eo tempore distribui solent in Metropolitana, vel in Parochiis, ut fidem Parocho exhibeant de peracta Communione. Item illi, qui easdem non communicantibus quomodocunque accomodant in fraudem, aut utrumque cooperantes.*

226. *Num ad hanc pœnam contrahendam requiratur, ut de facto schedula exhibeatur Parocho?*

Minime; sed sufficit, ut schedula hac intentione accipiatur, detur etc. uti ex verbis casus.

227. *Qui ália intentione schedulam dolose accipit, dat etc. et postea data occasione eam Parocho exhibet, utrum incidat in casum?*

Negative; quia non habetur acceptio et intentio in eodem actu.

228. *Qui schedulam vitiat aut accomodat causa exhibendi eam Parocho, inciditne in casum?*

Si est ipse idem, qui non communicans schedulam intendit Parocho exhibere, non incidit: si accomodat pro alio non communicante etc. incidit: quod patet ex verbis casus *Illi, qui easdem (schedulas) non communicantibus quomodocunque accommodant in fraudem.* *

TRACTATUS XI.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Sacramentum Pœnitentiæ peccati est medicina salutaris. Hinc ejus completa notitia perquam est Confessariis, ipsisque pœnitentibus necessaria. Merito igitur de eo integrum exaravi tractatum.

CAPUT I.

DE SACRAMENTI POENITENTIÆ GENERALI NOTIONE.

1. *UNde dicta est Pœnitentia?*

Dicta est a *pœna*, ita ut idem sit *pœnitere*, quam *pœnam tenere* (a).

2. *Quotuplici modo accipi potest pœnitentia?*

Duplici modo, uti est virtus, et uti est Sacramentum. Primo modo accepta est *Virtus moralis supernaturalis, qua ex motivo supernaturali dolemus de peccatis commissis, quatenus sunt offensa Dei, cum proposito non peccandi de cetero, et voluntate satisfaciendi pro iisdem peccatis.* Secundo modo accepta est *Sacramentum novæ legis, a Christo Domino institutum, ad peccata post baptismum commissa remittenda, per actus pœnitentis, et per absolutionem Sacerdotis.*

3. *In quo conveniunt, et in quo distinguuntur virtus et Sacramentum pœnitentiæ?*

Conveniunt in hoc, quod quidquid est proprium virtutis pœnitentiæ continetur in Sacramento; virtus enim pœnitentiæ est pars Sacramenti. Disconveniunt autem, quia 1. uti virtus tota posita est in actione pœnitentis; uti Sacramentum præcipue in absolutione Sa-

(a) *S. Isid. lib. 6. Etymolog.*

cerdotis: 2. uti virtus est etiam baptizandis aliquo personali peccato irretitis necessaria; uti Sacramentum solum est necessaria relapsis post baptismum: 3. uti virtus fuit quovis tempore omnibus peccatoribus necessaria (*b*); uti Sacramentum est proprium Christianorum.

4. *Pœnitentia estne verum novæ legis Sacramentum?*

Maxime, et est de fide; sicuti constat ex Scriptura (*c*), ex perpetuo sensu et traditione Ecclesiæ, ex plurimorum Conciliorum definitione, et novissime ex definitione Conc. Trid. sess. 14. can. 1. (*)

5. *Sacramentum pœnitentiæ estne necessarium, et quanam necessitate, medii, an præcepti?*

Est necessarium necessitate medii in re, aut saltem in voto; sed lapsis post baptisma, uti ex Scripturis, traditione, et cit. sess. 14. Trid. cap. 1. et 2. atque can. 2.

6. *Quando dicitur in voto?*

Quando virtualiter continetur in aliis actibus, quibus suppletur, cum non possit Sacramentum in re suscipi.

7. *In quibus actibus virtualiter habetur Sacramentum pœnitentiæ?*

In tribus actibus; nempe in contritione perfecta, ex Trid. cit. sess. cap. 4. in actu perfectæ charitatis; nam *Charitas operit multitudinem peccatorum*, 1. Pet. 4. 8. et in martyrio; martyrium enim est perfectæ charitatis effectus.

CAPUT II.

DE SACRAMENTI POENITENTIÆ MATERIA REMOTA.

8. *QUotuplex est hujus Sacramenti Materia?*

Duplex est, remota scilicet, et proxima.

9. *Quænam est materia remota?*

Sunt peccata post baptismum commissa.

(*b*) *Ex Trid. sess. 14. de pœnit. cap. 1.*

(*c*) *Præsertim ex Matth. cap. 16. vers. 19. et cap. 18. vers. 18. Joan. 20. 23.*

(*) Verba sunt *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.*

10. Quotuplici modo peccata possunt esse Sacramenti pœnitentiæ materia remota?

Triplici modo: aliqua peccata sunt materia necessaria, et sufficiens; et hæc sunt peccata mortalia nondum rite confessa: quæ dicuntur materia necessaria, et sufficiens; quia necessario sunt confessioni subjicienda, et potest de illis absolutio recipi. Alia sunt materia necessaria, et non sufficiens; nempe peccata mortalia dubia facti: quæ necessario uti dubia sunt confessioni subjicienda, attamen de illis non potest recipi absolutio, ne nullitati exponatur Sacramentum. Alia denique sunt materia sufficiens, et non necessaria; et hæc sunt venialia, vel mortalia alias rite confessa: de istis potest quis absolutionem recipere, sed non tenetur illa necessario confessioni subjicere.

11. An peccatum originale, et peccata personalia ante baptismum commissa sint hujus Sacramenti materia?

Minime; quoniam talia peccata tolluntur per baptismum.

12. Num homo de istis peccatis habere debeat pœnitentiam saltem uti virtutem?

De peccato originali nullam debet agere pœnitentiam, ex Trid. sess. 5. can. 5. et ex prop. 19. Jansenii ab Alexandro VIII. damnata (*). Si quis autem aliquod habeat personale peccatum, de isto aliquam debet habere præviam baptismo pœnitentiam (*d*).

13. An peccata in ipsa baptismatis susceptione commissa sint Sacramenti pœnitentiæ materia?

Alii negant; quia tolluntur per baptismum: alii affirmant ex ratione contraria: alii autem asserunt solam fictionem in baptismate, nempe indignam hujus Sacramenti susceptionem esse materiam Sacramenti pœnitentiæ; quia baptisma non aufert quod ei directe opponitur; ex D. Thoma (*e 1*).

14. Peccata venialia suntne materia hujus Sacramenti?

Sunt materia sufficiens, sed non necessaria, prout diximus, et

---

(*) Quæ ajebat: *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.*

(*d*) *Actor. 2. 38. Trid. sess. 6. cap. 6. et sess. 14. de pœnit. cap. 1.*

(*e*) *3. p. q. 69. a. 10. ad 2.*

(*1*) Aliqui dicunt aliud sensisse S. Doctorem in loco citato.

patet ex Trid. sess. 14. cap. 5. et can. 7. *Si quis dixerit, non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.*

15. Peccata rite confessa possuntne materiæ esse novæ absolutionis?

Maxime; nam circa talia peccata potest pluries versari materia proxima; et sicut eadem aqua potest esse remota materia plurium baptismatum, sic eadem peccata plurium absolutionum (2).

16. In confitendo ista peccata utrum sit necessarium manifestare, quod alias fuerint rite confessa?

Per se non est necessarium; eadem enim sunt peccata. Sed si hisce peccatis adnexa sit reservatio, censura, aliqua obligatio etc. vel ratione circumstantiæ temporis mutantur specie, e. g. qui est Sacerdos commisit aliquod turpe ante ordines etc. tunc est manifestandum, ut de illis peccatis Confessarius rectum efformet judicium.

17. Peccata dubia suntne materia hujus Sacramenti?

Peccata dubia juris sunt materia necessaria, et sufficiens; etenim necessario sunt confessioni subjicienda, et potest de illis recipi absolutio, cum sint saltem venialia, proindeque materia certa (3). Mortalia dubia facti sunt materia necessaria, et non sufficiens; necessaria, quia sunt in confessione exponenda, sicut ajunt DD. ex Trid. sess. 14. sed non sufficiens, quia non sunt materia certa. Venialia dubia facti non sunt materia necessaria, neque sufficiens (4).

18. An possit aliquando de istis mortalibus dubiis facti absolutio impertiri?

Affirmative, et 1. addendo in confessione aliud peccatum certum, saltem veniale: 2. in casu necessitatis sub conditione; quia per conditionem servatur Sacramentum: sed hoc intellige quando haberi non potest aliud peccatum certum, saltem veniale.

(2) Quod certum est apud omnes, prout docet S. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. a. 3. q. 5. ad 4. et alibi: et clare habetur ex Extravag. *Inter cunctas* 1. §. 1. in fin. de privilegiis.

(3) Idem dicendum de eo, qui certus de peccato commisso, dubitat utrum sit illud confessus an non. At scrupulosi minime tenentur peccata præterita confiteri, nisi certi sint illa nunquam fuisse confessi.

(4) Non desunt tamen permulti graves Auctores, qui sustinent nullam adesse obligationem confitendi peccata dubia, præsertim si dubium sit positivum.

Dicuntur peccata dubia juris, quando dubitatur, an sint mortalia, vel venialia: dicuntur dubia facti, quando dubitatur, an sint commissa, vel non talia peccata.

19. *Peccatum uti dubium in confessione expositum si postea inveniatur certum, estne uti certum denuo manifestandum?*

Maxime (contra aliquos), ut Ecclesiæ clavibus subjiciatur sicuti est.

20. *Qui recordatur de aliquo mortali in genere, sed obliviscitur illius speciei, teneturne illud confiteri?*

Utique; nam peccata sunt in confessione manifestanda, prout dictat conscientia; et tale peccatum est materia necessaria, et sufficiens. Quod si postea recordatur ejus speciem, tenetur illud iterum in specie confiteri.

CAPUT III.

DE MATERIA PROXIMA SACRAMENTI POENITENTIÆ: ET PRIMO DE CONTRITIONE.

21. Quænam est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ?

Sunt actus pœnitentis, nempe Contritio, Confessio, et Satisfactio (*f* 5).

22. *Quid est Contritio?*

Est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero (*g*).

23. *Quotuplex est contritio?*

Duplex, perfecta, et imperfecta, quæ alio nomine dicitur attritio: prima est quæ concipitur ex motivo amoris erga Deum infinite bonum: secunda est, quæ concipitur ob timorem pœnarum, vel ob turpitudinem peccati.

24. *Contritio perfecta, et attritio differuntne inter se?*

Maxime differunt: et 1. ratione motivi; contritio enim perfecta provenit ex motivo charitatis erga Deum, attritio ex timore: 2. ratione effectus; nam contritio justificat extra Sacramentum, cum voto tamen Sacramenti in eâ contento; attritio non justificat extra Sacramentum in re (*h*).

(*f*) *Trid. sess. 14. can. 4.*

(5) Aliqui volunt requiri etiam explicite actus fidei et spei ad consequendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. Sed reapse, qui dispositus ad hoc Sacramentum accedit, explicite (non jam reflexe, sed quidem exercite) credit, et sperat.

(*g*) *Trid. cit. sess. cap. 4.* (*h*) *Idem ibid.*

25. *Contritio perfecta justificatne semper extra sacramentum?*

Maxime; quia procedit ex charitate, quæ operit multitudinem peccatorum, ex 1. Petr. 4. 8. patet etiam ex Trid. sess. et cap. cit. et ex prop. Baji a Pio V. et a Greg. XIII. damnata (*6).

26. *An per contritionem perfectam remittatur etiam tota pœna temporaria?*

Non semper, uti ex Trid. sess. 6. can. 30. et sess. 14. can. 12. sed magis minusve, prout est contritionis vis atque vehementia.

27. *An sola dilectio erga Deum sufficiat ad Sacramentum pœnitentiæ suscipiendum?*

Minime; sed requiritur formalis dolor, utpote materia essentialis hujus sacramenti.

28. *Estne mortale confiteri venialia, et de illis accipere absolutionem sine formali dolore, saltem de uno?*

Maxime, quidquid aliqui male opinentur; redditur enim nullum sacramentum defectu materiæ essentialis.

29. *Quænam conditiones requiruntur in omni contritione, ut possit per eam homo justificari, sive in sacramento, sive extra?*

Requiritur, ut sit interna, appretiative summa, efficax, universalis, et supernaturalis.

30. *Quid denotat, ut sit interna?*

Ut sit in animo, et corde, juxta illud Joël. cap. 2. 13. *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.*

31. *Quid denotat, ut sit appretiative summa?*

Ut pœnitens peccatum detestetur supra omnia mala; et paratus sit omni bono carere, quodcumque malum pati potius, quam Deum offendere, juxta Joël. cit. cap. vers. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro.*

(*) Verba propositionis erant *Per contritionem etiam cum caritate perfecta, et cum vero voto percipiendi sacramenti, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii: sine actuali susceptione sacramenti.*

(6) Præceptum contritionis perfectæ obligat peccatorem sub gravi 1. in articulo mortis, cum nequit absolutio recipi, vel, juxta aliquos (quod omnino est consulendum), est recepta cum simplici attritione. 2. Quando aliquis stans in mortali, non habens copiam absolutionis, deberet aliquod Sacramentum ministrare, vel suscipere. 3. Quando graves tentationes superari non possent, nisi actu contritionis. 4. Secundum aliquos, si aliter diu manendum esset in peccato lethali.

32. *Requiritur sensibilitas in contritione?*

Minime; nam debet esse summa in ratione, non in parte sensitiva.

33. *Quid significat, ut sit efficax?*

Requiritur, ut sit conjuncta cum animi præparatione ad faciendum fugiendumque omne, quod necesse est ad peccatum removendum.

34. *Quid denotat, ut sit universalis?*

Ut extendatur ad omnia peccata mortalia commissa, sicuti constat ex illo Ezech. 18. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis . . . vita vivet, et non morietur*: non potest enim unum peccatum remitti sine aliis (7).

35. *Num ad veram contritionem requiritur mora temporis?*

Minime, uti patet ex can. *Mensuram* 86. dist. 1. de pœnit. *Apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris.*

36. *Quid denotat, ut contritio debeat esse supernaturalis?*

Ut habeatur ex Deo, et concipiatur ex motivo supernaturali.

37. *Sufficitne attritio naturalis, nempe ex motivo temporali?*

Minime, uti patet ex prop. 57. ab Innoc. XI. proscripta, quæ ajebat: *Probabile est sufficere attritionem naturalem modo honestam*; quia non est impulsus Spiritus Sancti.

38. *An attritio ex peccati turpitudine, vel ex gehennæ et pœnarum metu concepta, sine dilectione Dei propter se, sit motus bonus, et supernaturalis?*

Maxime, et ad gratiam in sacramento impetrandam disponit; uti habetur ex Trid. sess. 14. cap. 4. et ex prop. 9. 14. et 15. ab Alex. VIII. damnatis (*).

---

(7) Attamen (quidquid aliqui sentiant) non est necessarium de singulis mortalibus singillatim doleri; sed sufficit unus de omnibus peccatis doloris actus: quia sicut una absolutionis forma omnia peccata delentur, sic et uno contritionis actu. Quod patet ex Scripturis, ex Catech. Rom. num. 30. ex communi sensu, et ex ratione. Vide S. Thom. in op. de Veritate q. 29. a. 5. ad 4. et in 4. dist. 17. q. 2. a. 3. q. 5. ad 2.

(*) Prop. 9. *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.* Prop. 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis.* Prop. 15. *Attritio, quæ gehennæ, et pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se non est bonus motus, ac supernaturalis.*

39. Sufficitne sola hujusmodi attritio in sacramento pœnitentiæ, sine amore inchoato?

Acriter concertant inter se Theologi: alii dicunt sufficere; quia ex Trid. loco cit. habetur hanc *attritionem ad gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere*: alii vero dicunt non sufficere; quia non datur justificatio sine dilectione Dei, sicuti ex 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte*; et illud *disponere* Tridentini intelligendum est de dispositione remota, non de proxima (*).

40. Estne rectum et Deo placens detestari malum, et prosequi bonum ad gloriam cælestem obtinendam?

Maxime, sicut habetur ex Trid. sess. 6. can. 31. et ex prop. 10. ab Alex. VIII. damnata (**).

41. An ex defectu inculpabili doloris possit dari sacramentum pœnitentiæ validum, et informe, nempe sine gratia?

Litigium est. Aliqui negant: nam aut pœnitens omnia præstat requisita; et sacramentum erit validum, et formale, nempe cum gratia; aut requisita non præstat, et sacramentum erit invalidum, et informe. Alii autem asserunt posse dari sacramentum validum, et informe; quia potest evenire, quod pœnitens præstet omnia ad sacramentum requisita, et ex aliqua circumstantia impediatur gratia.

42. Dolor debetne præcedere absolutionem?

Maxime; aliter daretur absolutio sine essentiali materia.

43. An debeat præcedere confessionem oralem?

Secundum aliquos debet præcedere; quia confessio debet esse dolorosa: sed probabilius alii negant; sufficit enim, ut habeatur materia in actu absolutionis. At tutius est elicere actum doloris ante confessionem; nam evenire potest, quod quis post peractam confessionem facile sit distractus, et non eliciat actum doloris.

(*) Alexander VII. die 5. Maji 1667. sub pœna excomm. latæ sententiæ vetuit, *ne quis audeat alicujus censuræ theologicæ, alteriusque injuriæ et contumeliæ nota, taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter scholasticos communior videtur; sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.*

(**) Propositio erat: *Intentio qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.*

44. *Sufficitne dolor virtualis?*

Maxime; quoniam cum sit idem actus virtute perseverans, æquivalet actuali.

45. *Quanto tempore dolor præcedere potest absolutionem?*

Tanto tempore, ut adhuc censeatur virtualiter perdurare.

46. *Dolor interrumpiturne per somnum?*

Quæstio est; sed probabilius dicendum interrumpi per longum somnum.

47. *An interrumpatur per peccatum?*

Per peccatum mortale interrumpitur; quia mortale peccatum dolori est contrarium: per veniale vero non interrumpitur, veniale enim potest esse in anima cum dolore.

48. *Dolor elicitus sine intentione confitendi estne ad absolutionem sufficiens?*

Minime; nam sine hac directione non est sacramentalis: et hoc secundum aliquos. Sed rationabilius dicendum est, quod cum sit talis dolor virtualiter perseverans, accipiendo cum eo absolutionem, facto ordinatur et dirigitur ad absolutionem, et fit sacramentalis.

49. *Si quis statim post absolutionem recordetur alicujus peccati mortalis, de quo vult novam recipere absolutionem, teneturne elicere novum doloris actum?*

Alii affirmant; quia nova forma novam exigit materiam: alii vero negant; dolor enim cum sit adhuc virtualiter perseverans, dirigitur et ordinatur ad novum sacramentum; sicuti eadem aqua potest esse materia apta plurium baptismatum etc.

50. *Requiriturne in Sacramento pœnitentiæ propositum non peccandi de cetero?*

Maxime, veluti patet ex Scripturis, et traditione, ac præcipue ex Trident. cit. sess. 14. cap. 4. *cum proposito non peccandi de cetero.*

51. *Quot conditiones requiruntur in proposito?*

Plures: 1. ut sit verum, nempe in vera voluntatis determinatione: 2. ut sit absolutum, scilicet independens a quacumque conditione: 3. ut sit universale, quoad omnia peccata mortalia: 4. efficax in adhibendis mediis ad peccatum removendum:

5. ut sit firmum et stabile, idest sine ullius temporis restrictione (8).

52. *Propositum debet esse expressum et formale, an sufficit, ut sit implicitum in dolore?*

Aliqui tenent sufficere implicitum, dummodo dolor sit elicitus ex motivo universali; qui enim dolet de aliquo, hoc non vult. Sed probabilius alii volunt, quod debeat esse explicitum et formale; quia in Trid. exprimitur præter dolorem, *cum proposito non peccandi de cetero;* et sicut dolor debet esse explicitus ac formalis, ita et propositum.

53. *Qui recipit absolutionem venialium, debetne habere propositum?*

Maxime, de omnibus mortalibus, et de uno saltem veniali, de illo nempe, quod facit materiam absolutionis.

CAPUT IV.

DE CONFESSIONE ORALI.

54. *Quid est Confessio?*

Est legitima et sacramentalis accusatio de propriis peccatis, facta Sacerdoti facultatem habenti, ad eorum veniam per absolutionem obtinendam (i).

55. *Confessio estne ex institutione Christi Domini?*

Maxime; nam hoc sacramentum fuit institutum per modum judicii (k), quale judicium haberi nequit, nisi ipse pœnitens peccata sua accuset: ita constat ex Scripturis (l), perpetua universali traditione, plurimis Conciliis, ac est a Trident. definitum sess. 14. cap. 5. et can. 6. (*)

---

(8) Timor peccandi ex propriæ fragilitatis consideratione conceptus non opponitur firmitati propositi; quia timor talis afficit intellectum, et propositum est in voluntate. Imo talis timor est signum veri propositi; nam qui timet, non vult. Probabilius vero satis firmum non habet propositum, qui certo credit se relapsurum.

(i) *Communiter cum D. Thoma in 4. dist. 17. q. 3. a. 2.*

(k) *Math. 18. 18. et alibi.*

(l) *Math. loc. cit. Joan. 20. 23. Act. 19. 18. Jac. 5. 16. 1. Joan. 1. 9. etc.*

(*) *Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse de jure divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli sa-*

56. Quænam sunt conditiones in confessione requisitæ, ut sit sacramentalis?

A Theologis numerantur usque ad sexdecim; quæ omnes ad tres præcipuas reducuntur, ut sit nempe dolorosa, vera, et integra.

57. Quid denotat, ut sit dolorosa?

Ut fiat ex animo peccatum detestante.

58. Quid significat, ut sit vera?

Ut fiat sine mendacio, et verborum artificio; et ad rectum finem.

59. Mentiri in confessione estne grave peccatum?

Vel quis mentitur circa materiam necessariam, (nempe circa mortalia non adhuc rite confessa, vel circa veniale, quod facit per accidens materiam necessariam absolutionis, scilicet non est commissum illud veniale, de quo solo recipit absolutionem) tunc peccat graviter; quia nullum reddit sacramentum: vel mentitur circa materiam non necessariam, et peccat leviter, ratione mendacii; quicquid aliqui somnient.

60. Quid denotat, ut confessio sit integra?

Ut manifestentur omnia mortalia in sua specie, numero, et circumstantiis necessariis.

61. Quotuplex esse potest Confessionis integritas?

Duplex, materialis, et formalis: prima habetur, quando pœnitens omnia confitetur mortalia in specie, numero, et circumstantiis, prout fuerunt commissa, ita ut nihil eorum remaneat aperiendum: formalis habetur, quando quis confitetur peccata, prout hic et nunc potest, et tenetur.

62. Quænam integritas requiritur in confessione?

Per se requiritur materialis, uti ex Trident. sess. 14. can. 7. in quo exprimitur omnia et singula peccata, etiam occulta, et interna esse in confessione aperienda: aliquoties sufficit formalis, quando nempe habetur impotentia physica, vel moralis (9 ✻); jugum enim Christi suave est, et onus leve.

---

cerdoti; quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione, et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit. Idem definitur can. 7. cit. sess.

(9 ✻) Impotentia physica habetur, quando quis physice non potest peccata sua

63. Magnus populi concursus die indulgentiæ, magnæve festivitatis estne justa causa dimidiandæ confessionis?

Minime; quia non adest sufficiens necessitas impotentiam moralem efformans: et oppositum est damnatum (*).

64. Peccata justam ob causam in confessione omissa debetne quis confiteri, impedimento cessante?

Maxime, ut de illis accipiat absolutionem directam: quod patet ex Trident. sess. cit. can. 7. et ex 11. prop. damnata ab Alex. VII. (**)

65. Integritas debetne esse respectu ejusdem Sacerdotis, et ejusdem absolutionis?

Maxime; quisquis enim absolvi non potest, nisi facta integra confessione: uti habetur ex eod. Trid. cit. sess. cap. 5.

66. Agitne contra confessionis integritatem, qui uni Sacerdoti confitetur mortalia, et alteri Sacerdoti venialia?

Si prius confitetur uni mortalia, et alteri venialia, non facit contra integritatem; venialia enim non sunt necessario manifestanda: sed hoc non vacat levi culpa, cum signum sit superbiæ, et vanæ sui existimationis. Si vero prius confitetur venialia, de quibus recipit absolutionem, et postea mortalia, facit contra integritatem, et sacrilege confitetur.

67. Num ille, qui peccatum suum non potest manifestare, nisi manifestando complicem; tenetur illud confiteri, cum ex ejus con-

manifestare, utputa ex oblivione inculpabili, defectu linguæ, temporis etc. Moralis habetur, quando ex manifestatione peccati probabiliter timetur grave damnum spirituale vel temporale sui, vel proximi.

Ob impotentiam physicam ab integritate materiali excusantur 1. Mutus: at probabilius tenetur per scriptum, si potest, sua peccata integre confiteri. 2. Surdus, qui non potest omnia explicare: 3. Si pœnitenti, vel Confessario imminet mors.

De ignaro idiomatis, et de moribundo infra dicetur.

Ob impotentiam moralem excusantur 1. cum Confessarius certo est peccatum revelaturus etc. 2. Si quis Confessarius suum peccatum vel circumstantiam non possit manifestare sine violatione sigilli. 3. Cum infirmus laborat morbo contagioso etc. Infra dicetur, si possit manifestari complex etc.

(*) Ab Innoc. XI. prop. 59. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessum ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, indulgentiæ.*

(**) Quæ ajebat: *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

fessione nihil aliud damni sequitur, præter pravum complicis conceptum apud Confessarium?

Alii negant; præceptum enim naturale servandi famam alterius prævalet positivo confitendi peccata. Alii cum D. Thoma (*m10*) probabilius affirmant; 1. quia complex assentiendo peccato cessit juri suo, sciens, vel scire debens illud peccatum esse in confessione manifestandum: 2. quia apud Confessarium nulla datur famæ diminutio de complice, uti non datur de ipso pœnitente: 3. denique quia si licitum est debitis circumstantiis alterius peccatum aliquando manifestare, puta ad consilium petendum, ad grave damnum removendum; potiori ratione licet ad remissionem obtinendam.

68. *Quid dicendum, si ex tali manifestatione grave damnum timeatur complici?*

In hoc casu non est manifestandum peccatum, cum habeatur moralis impotentia.

69. *Teneturne Confessarius pœnitenti prohibere complicis manifestationem, cum talis manifestatio non sit confessioni necessaria?*

Maxime; nulla enim adest ratio hujusmodi manifestationis.

70. *Peccatne Confessarius de nomine complicis interrogans absque necessitate, vel rationabili causa?*

Peccat graviter, ob injuriam tum proximi, tum sacramenti; sic enim fideles a confessione abalienantur: uti habetur ex constit. Bened. XIV. *Suprema*, et *Ubi primum*, in quibus hanc praxim Pontifex damnavit, uti scandalosam, perniciosam etc.

71. *Confessarius hanc sequens praxim inciditne in aliquam pœnam?*

Confessarius denegans absolutionem pœnitenti nolenti complicem manifestare, incidit in suspensionem ab audiendis confessionibus ferendæ sententiæ ex const. cit. *Ubi primum*, et alia ejusdem Pontificis *Ad eradicandum*: et si videatur huic sententiæ adhærere, intra mensem est denuntiandus tanquam suspectus de hæresi; a cujus denuntiationis obligatione eximitur pœnitens. Omnes au-

---

(*m*) *Opusc.* 12. *q.* 7.

(10) At iste tenetur alium adire Confessarium, cui ignotus est complex; modo commode possit. Parentes, filii, conjuges etc. ab hujusmodi onere plerumque excusantur.

tem docentes vel defendentes hanc praxim tamquam licitam, incidunt in excomm. Papæ reservatam, ex cit. constit. (11)

72. *Teneturne ad confessionem, qui non potest peccata confiteri, nisi per interpretem?*

Tenetur saltem ex præcepto charitatis, urgente periculo mortis, vel si diu manendum sit in peccato, sicut ait D. Thomas cum aliis: nam quod non possumus uno modo, ad illud tenemur, si alio modo possumus.

73. *An in tali casu adsit obligatio confitendi omnia peccata?*

Per multos DD. non adest hujusmodi obligatio; habetur enim aliqua moralis impotentia: sed aliqui excipiunt articulum mortis, in quo docent omnia peccata esse in confessione manifestanda.

74. *Tenetur pœnitens confiteri peccata, quæ alio modo sunt Confessario extra confessionem nota?*

Maxime; quia ipse pœnitens debet accusare sua peccata. At secundum aliquos sufficit, si pœnitens Confessario dicat: *Confiteor tibi peccata, quæ novisti me commisisse.*

75. *Quid dicendum, quando pœnitenti non constat numerus peccatorum certus?*

Tunc est manifestandus numerus probabilis addendo *circiter, plus vel minus:* quod vero esse debet respective ad numerum expositum. Quod si ne probabilis quidem exprimi potest, exprimendus est status vitæ; ut modo quo potest quis sua peccata confiteatur.

76. *Quænam circumstantiæ sunt in confessione patefaciendæ?*

Circumstantiæ mutantes speciem, et in infinitum aggravantes vel minuentes; quia necessariæ sunt ad rectum efformandum judicium. Secundum aliquos, et probabilius, sunt etiam manifestandæ circumstantiæ notabiliter aggravantes, vel notabiliter minuentes: nam ob hasce aliquo modo mutatur judicium. At parum aggravantes, vel parum minuentes non sunt exponendæ, juxta omnes.

77. *An sit in confessione exprimendus effectus malus ab actu externo secutus?*

Exprimendus est, si est in causa volitus sive directe, sive in-

(11) Secundum communissimam et veram sententiam potest Confessarius de licentia pœnitentis complicem monere et corrigere.

directe; quia est voluntarius, proindeque imputatur ad culpam: aliter non est exprimendus.

78. Estne confessioni præmittendum diligens conscientiæ examen?

Maxime, uti habetur ex Trid. cit. sess. cap. 5. nam est medium ad confessionis integritatem necessarium.

79. Quale esse debet hujusmodi examen?

Hoc certa regula definiri nequit; quia debet esse conveniens uniuscujusque statui: ex Catechismi Romani doctrina ea diligentia in examine adhibenda est, quam solent homines prudentes in gravissimis negotiis ponere. (12).

80. Potestne absolvi moribundus, qui cum loqui non possit, dat signa pœnitentiæ?

Est absolvendus; habetur enim sufficiens confessio sensibilis, et externa: quidquid aliqui inepte dicant (n).

81. Quid si dubitetur, an illa sint vera signa pœnitentiæ?

Etiam est absolvendus; cum probabile sit quemlibet etiam scelestum in articulo mortis velle remedium animæ suæ: tutius est illum absolvere sub conditione, ne nullitati exponatur sacramentum.

82. Quid dicendum, si moribundus sensibus exterioribus destitutus nulla det pœnitentiæ signa?

Absolvendus est sub conditione, omissa adversa sententia; potest enim evenire, ut det aliquod signum externum, quod non videatur ab adstantibus (13).

83. An ille, qui invalidam fecit confessionem, teneatur cum illa omnes subsequentes confessiones renovare?

Si subsequentes confessiones fecerit mala fide de invalida, omnes tenetur iterare; quia fuerunt invalidæ: aliter tenetur iterare tantum invalidam, vel alias in mala fide factas (14).

---

(12) In fine tractatus practicum invenies modum examinandi conscientiam.

(n) *Can.* Is, qui *8. et* His qui *10. §. 1. caus. 26. q. 6. et Rit. Rom. de Sacram. Pœnit.*

(13) Sic etiam ex probabili sententia absolvi potest qui in actu peccati sensibus destitutus fuit; modo sit catholicus.

(14) Ex communiori sententia (est tamen contraria æque probabilis) ad renovandam apud eundem Confessarium invalidam confessionem sufficit, ut pœnitens in communi se accuset de prius confessis, dummodo Confessarius recordetur saltem status pœnitentis, vel resumat in confuso notitiam anteactæ confessionis.

84. *Valetne confessio publice facta?*

Valet; etenim confessio publica non fuit a Christo Domino prohibita, neque præcepta, uti constat ex Trident. sess. 14. cap. 5.

85. *Confessio debetne fieri Sacerdoti præsenti?*

Maxime, uti patet ex praxi totius Ecclesiæ, et eruitur ex Trid. cit. sess. cap. 4. et confessio, seu absolutio per litteras vel per internuncium fuit damnata a Clem. VIII. anno 1602. (*15)

86. *In quas pœnas incidit, qui absolvit, aut confitetur per litteras, vel per internuncium?*

Tam Confessarius, quam pœnitens incidit in excomm. Papæ reservatam: et in eandem incidunt omnes docentes, sustinentes, defendentes uti licitam hanc doctrinam.

87. *Quænam præsentia requiritur in confessione?*

Saltem moralis, quæ habetur quando quis audiri potest loquens elatiori voce.

CAPUT V.

DE SATISFACTIONE.

88. *Quid est Satisfactio?*

Est compensatio pœnæ temporalis ob injuriam Deo illatam debitæ, consistens in operibus pœnalibus et laboriosis a Confessario taxatis, aliunde non debitis.

89. *Quotuplex esse potest satisfactio?*

1. Alia dicitur vindicativa, alia medicinalis: prima est quæ

(*) Propositio ajebat: *Licet per litteras, seu per internuncium Confessario absenti sacramentaliter peccata confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.*

(15) In quo est advertendum hoc esse intelligendum non solum conjunctim, nempe quoad confessionem et absolutionem simul; sed etiam divisim, scilicet quoad alterutram; uti clare patet ex alio decreto ejusdem Pontif. edito an. 1603. et ex tribus aliis decretis sub Paulo V. editis an. 1605.

Juxta plurimos valet Confessio, si per litteras pœnitens mittat peccata Confessario absenti, qui ea legat, et postea Confessario factus præsens dicat: *Accuso me de peccatis, quæ scripsi*: eo potius valet, si pœnitens præsens det legenda Confessario peccata scripta, et postea dicat: *Me accuso etc.* At hoc non est licitum extra necessitatem.

Absens etiam invitus extra Sacramentum valide a censura absolvitur; sed illicite sine urgenti necessitate. Idem est de dispensatione ab irregularitate.

præcise datur ad præterita peccata vindicanda: altera, quæ præcipue datur ad peccata in posterum præcavenda: at sæpe eadem potest esse vindicativa, et medicinalis. 2. Alia est personalis, alia realis, prout afficit personam, uti oratio, jejunium etc. vel rem, uti eleemosyna etc. 3. Alia est in voto, et constitit in voluntate exequendi illam: alia in re, quæ consistit in ipsa adimpletione illius.

90. Satisfactio est pars integralis, an essentialis Sacramenti pœnitentiæ?

Satisfactio in voto (quidquid aliqui sentiant) est pars essentialis, et absque voluntate satisfaciendi invalidum est sacramentum: satisfactio in re est pars integralis, ita ut, si quis recipiat sacramentum cum voluntate adimplendi satisfactionem, et postea eam non adimpleat, peccet; attamen remanet validum sacramentum, quamvis incompletum.

91. Teneturne Confessarius pœnitenti satisfactionem imponere?

Tenetur, si pœnitens possit eam adimplere: aliter graviter peccat, ex Trid. sess. cit. cap. 8. et pœnitens tenetur illam acceptare sub gravi, quum est satisfactio rationabilis (16).

92. Licetne aliquando hoc sacramentum administrare absque satisfactionis impositione?

Utique, et est quando quis morti proximus non valet illam adimplere (17).

93. Impositio satisfactionis debetne præcedere absolutionem?

Maxime; nam est actus jurisdictionis, qui exerceri non potest extra absolutionem.

---

(16) Ex parte sui non potest Confessarius pro venialibus, aut mortalibus alias confessis gravem pœnitentiam sub gravi obligatione imponere: nisi illa venialia pœnitentem valde disponerent ad mortale, vel de mortalibus alias confessis pœnitens condignam non egerit pœnitentiam. E converso probabilius non potest per se loquendo pro gravibus culpis levem imponere pœnitentiam; neque gravem sub obligatione levi: aliquando optima praxis esset imponere aliquam gravem sub gravi, et aliam graviorem sub levi. Probabile est posse pœnitentem absque culpa, saltem gravi, discedere sine absolutione, et alium adire Confessarium, si pœnitentia imposita sit vere irrationabilis, vel impar suis viribus. A potiori potest Confessarium rogare, ut illam moderetur.

(17) At si moribundus valeat adimplere levem, levis est satisfactio ei imponenda; et est monendus, ut, si convalescat, debeat congruam adimplere satisfactionem pro suis peccatis. Imo si id postulet ratio, gravis satisfactio est illi imponenda, ut eam adimpleat, si convaluerit: patet ex can. *Ab infirmis* 1. caus. 26. q. 7. et ex Rituali Rom.

94. Quid si Confessarius ante absolutionem obliviscatur satisfactionis imponendæ ?

Tunc, ut aliqui dicunt, statim post absolutionem imponat satisfactionem pro sacramento complendo.

95. An pœnitenti sit imponenda nova satisfactio, si statim post absolutionem pro alio peccato, de quo recordatur, novam accipit absolutionem ?

Alii ajunt novam esse imponendam satisfactionem, etsi levem; quia novum sacramentum novam requirit materiam: alii vero sustinent eandem satisfactionem posse extendi ad aliam absolutionem.

96. Debetne Confessarius habere distinctam peccatorum memoriam in imponenda satisfactione ?

Minime; hoc enim sæpe est moraliter impossibile: sed sufficit recordari status pœnitentis.

97. Quænam opera debet Confessarius pœnitenti imponere pro satisfactione ?

Opera bona, pœnalia, peccatis contraria, et aliunde non debita (18).

98. An possit Confessarius pœnitenti pro satisfactione imponere opera aliunde præcepta ?

Ordinario non potest; quia sunt aliunde debita, et non habetur satisfactio pro peccatis. At si pœnitens non possit alia opera præstare, nisi aliunde præcepta, tunc eadem potest Confessarius pro satisfactione applicare, quidquid aliqui dicant (19).

99. Utrum possit imponi pœnitentia publica ?

Pro peccatis occultis non potest, veluti ex Rituali Rom. quia

---

(18) Hæc opera ad tria capita reducuntur, uti ex Trid. cit. sess. nempe ad orationem, et nomine orationis intelligitur omnis religionis actus, tam internus, quam externus: ad jejunium, et per jejunium venit omnis mortificatio animi, vel corporis: et ad eleemosynam, ad quam referuntur omnia misericordiæ opera tam spiritualia, quam corporalia.

Non desunt docentes non posse imponi opera interna: sed contrarium communiter sustinetur.

Sic etiam ex communi sententia potest imponi cessatio ab aliquo opere, etiam bono.

Præter pœnitentiam pro peccatis commissis impositam, probabilius potest alia imponi sub conditione reiucidentiæ.

(19) In hoc casu ex duplici motivo formali tenetur pœnitens illa opera adimplere.

esset improportionata, et contra usum Ecclesiæ : pro peccatis publicis potest imponi, si opus sit ad publicæ offensioni satisfaciendum; sicuti habetur ex 1. Timoth. 5. 20. et Trid. loc. cit.

100. Quomodo peccat, graviter an leviter, pœnitens satisfactionem non adimplens?

Si pœnitentia est gravis pro mortalibus imposita alias non rite confessis, juxta omnes peccat graviter pœnitens eam non adimplens; quoniam gravis est obligatio. Si est levis pro venialibus imposita, aut mortalibus alias rite confessis, commune est peccare leviter; quia levis materia est, et Sacramentum jam est essentialiter completum. In aliis casibus varie disputant DD. sed melius dicendum peccare graviter; quia gravis videtur obligatio vel ex materia, vel ex causa; et gravis injuria contra Sacramentum illud voluntarie non complere (20).

101. Quo tempore est adimplenda satisfactio?

Si tempus est a Confessario designatum, eo tempore est adimplenda satisfactio; nam in casu tempus etiam cadit sub obligatione. Aliter potest pœnitens, quando vult, eam adimplere: sed expedit, ut illam quamprimum adimpleat, ad majorem fervorem, et ne illius obliviscatur (21).

102. Tenecturne pœnitens satisfactionem adimplere in statu gratiæ?

Non convenit inter DD. Sed probabilius non tenetur, uti patet ex communi sensu : nam ex usu solent adimplere fideles satisfactionem etiam ante absolutionem, et a Confessariis non obligantur repetere pœnitentiam in statu lethali peractam.

103. Num possit pœnitens per alium suam satisfactionem adimplere?

Minime; quia ex Trid. est actus ipsius pœnitentis; et oppositum fuit damnatum ab Alex. VII. (*)

---

(20) At hoc intelligitur, si tota imposita pœnitentia omittatur; nam si tantum omittatur aliqua pars, tunc pro quantitate partis omissæ erit culpa.

(21) Si tempus non est statutum, probabilius potest absque gravi culpa usque ad mensem protrahi, si pœnitentia sit tantum vindicativa.

(*) In hac 15. propositione: *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.*

104. Potestne pœnitens propria auctoritate impositam satisfactionem commutare?

Non potest, ne in meliorem quidem; nam commutatio hæc est actus sacramentalis, et jurisdictionis soli Confessario competens.

105. Num possit Confessarius commutare pœnitentiam a seipso, vel ab alio Confessario impositam?

Maxime ob justam causam; quia ejus potestas est ligandi, et solvendi: sed (omissa contraria sententia) potest in alia absolutione, habita notitia præteritæ confessionis, ob quam fuit imposita pœnitentia; nam talis commutatio est actus jurisdictionis, quam exercere non potest Confessarius extra sacramentum.

106. An Confessarius possit commutare pœnitentiam præservativam ab alio Confessario impositam?

Utique, quidquid alii in contrarium sentiant; quia Confessarius habet potestatem eam commutandi, et potest pœnitenti imponere aliam satisfactionem, quæ sit etiam a peccato præservativa.

107. Confessarius inferior potestne commutare pœnitentiam a superiore impositam ob peccata, vel censuras reservatas?

Aliqui communius, et forte probabilius negant; tum quia inferior facultatem non habet mutandi sententiam superioris; tum quia reservationis frustraretur finis. Alii autem affirmant; peccatum enim, vel censura est reservata, non pœnitentia.

108. An pœnitens, facta legitima commutatione, possit priorem pœnitentiam eligere?

Nonnulli affirmant; quia commutatio est in favorem pœnitentis. Sed mihi videtur non posse; nam pœnitens non adimplendo secundam pœnitentiam relinqueret secundum sacramentum non completum, quod quidem culpa non vacat: intelligitur tamen, si alia non sit data distincta pœnitentia pro secunda absolutione.

109. Pœnitens, qui oblitus est pœnitentiæ sibi impositæ, debetne denuo confiteri peccata causa obtinendi de illis pœnitentiam, et eam adimplendi?

Aliqui affirmant, ut integrum fiat sacramentum: alii vero negant; quia aliis modis potest pœnitens pro peccatis jam remissis satisfacere (22).

(22) Ego dicerem, teneri, si sua culpa impositæ satisfactionis sit oblitus, ne sua culpa mutilum remaneat Sacramentum: alias non teneri.

110. An satisfactio sit necessario adimplenda ante absolutionem?

Minime, uti patet ex pluribus ab Alex. VIII. damnatis propositionibus (*); quoniam satisfactio in re est pars integralis, non vero essentialis sacramenti pœnitentiæ.

111. Potestne Confessarius in aliquo casu exigere, ut pœnitens satisfactionem adimpleat ante absolutionem?

Potest, quando prudentia hoc dictat; quia non est prohibitum a Christo, neque ab Ecclesia. Immo aliquando ad id obligare debet pœnitentem, quando timetur, quod pœnitens omittat hanc satisfactionem post acceptam absolutionem; vel quando necesse est ad pœnitentis dispositionem dignoscendam.

112. An sit adimplenda pœnitentia, quando absolutio fuerit invalida?

Minime; nam corruente principali, corruit etiam accessorium.

113. Quinam sunt effectus satisfactionis?

Multi numerantur a Concil. Trident. cit. sess. cap. 8. et alibi, et a Catechismo Rom. præcipui sunt integratio sacramenti, remissio pœnæ temporalis in non ponente obicem, et refrænatio a peccatis in posterum.

114. Satisfactio potestne applicari aliis, puta defunctis?

Maxime; quia ex opere operato, nempe ratione sacramenti semper applicatur pœnitenti: ex opere operantis potest aliis proficere (23).

(*) Propositiones erant 16. quæ ajebat: *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, et præscriptio naturæ rei idipsum quodammodo dictantes*: 17. sic concepta: *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus*: 18. quæ ajebat: *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.*

(23) Immo probabilius potest pro satisfactione imponi opus pro defunctis applicandum; patet ex communi, et ex Catech. Rom. num. 76. 79. et alibi.

CAPUT VI.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

115. *Quænam est Forma hujus Sacramenti?*

Hæc est: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, sicuti constat ex traditione, perpetuo Ecclesiæ usu, et Trid. sess. 14. cap. 3. (24)

116. *An omnia hæc verba sunt de essentia sacramenti?*

Verba *te absolvo* juxta omnes sunt de essentia: *a peccatis*, est quæstio (25): omnia alia verba juxta omnes non sunt de essentia.

117. *Aliæ preces suntne necessariæ?*

Minime, uti habetur ex Trid. loc. cit. et ex Rit. Rom. et possunt omitti ex rationabili causa, ut puta ob concursum pœnitentium etc.

118. *Absolutioni a peccatis estne præmittenda absolutio a censuris?*

Maxime, et sub gravi; nam ex Ecclesiæ gravi præcepto, qui censura est irretitus, sacramenta suscipere nequit. Excipitur tamen suspensio, et interdictum generale, cui pœnitens non dedit causam: hæc enim non privant usu passivo sacramentorum; proinde non esset mortale absolvere a peccatis ante absolutionem talis interdicti, et suspensionis.

119. *Potestne Confessarius unica absolutione absolvere a censuris et a peccatis simul?*

Utique; nulla enim adest implicatio unam eandemque formam ad utrumque effectum determinare. Sed esset veniale sine causa sic absolvere; cum sit contra usum Ecclesiæ (26).

---

(24) Vide in fine sequentis tractatus.

(25) Probabilius mihi videtur essentialiter requiri ista verba *a peccatis*; tum ad determinandum effectum verbi *absolvo*; tum quia in institutione hujus Sacramenti hoc fuit a Christo expressum, dum ait *Quorum remiseritis peccata etc.* Certum est autem lethaliter peccare, qui ea omittit; quoniam periculo nullitatis Sacramentum exponit.

(26) Unica forma plures præsentes valide absolvuntur; et etiam licite stante justa causa.

An possit repeti forma in eadem confessione, et utrum valeat et liceat absolutio sub conditione dictum est in x. tract. num. 18. et 26. ac subjecta nota.

Absolutio invalida esse potest vel ex parte Confessarii, vel ex parte pœnitentis. Ex

CAPUT VII.

DE HUJUS SACRAMENTI MINISTRO, ET EJUS OFFICIIS.

120. Quinam est Minister sacramenti pœnitentiæ?

Solus Sacerdos, qui habet potestatem jurisdictionis, aut ordinariam aut delegatam: ex perpetua traditione, et ex Tridentino (o 27).

121. An in aliquo casu Ecclesia suppleat defectum jurisdictionis in sacerdote?

Maxime, et 1. quando adest titulus coloratus, et error communis (p); nam bonum commune hoc exigit ad impedienda scandala, et gravia damna fidelium. 2. In mortis articulo, uti ex pervetusta consuetudine a Trid. confirmata (q); ne aliqua periclitetur anima: et hoc intelligitur de quovis sacerdote etiam censurato, irregulari, degradato etc. quidquid aliqui dicant de censurato vitando.

122. Quando habetur titulus coloratus?

Titulus est causa per se habilis ad conferendam jurisdictionem, ut puta Parœcia, approbatio Episcopi etc. sed si ob aliquem defectum impeditur realis collatio jurisdictionis, tunc dicitur titulus non verus, sed coloratus, uti esset Parœcia collata excommunicato, vel per simoniam etc. Idem dicito, si verus titulus aut jurisdictio ob aliquam causam amittitur.

123. Quando habetur error communis?

Quando aliquis sacerdos communiter creditur habere jurisdictionem, quam reapse non habet.

---

parte Confessarii, si jurisdictionem non habeat, vel substantialiter vitiet formam, vel non intendat absolvere. Ex parte pœnitentis, si nempe non sit dispositus.

(o) *Sess. 14. cap. 6. et 7. et can. 10.*

(27) Heic obiter notetur proprium esse Sacerdotum munus excipiendi Confessiones; et consequenter ipsos teneri, saltem in gravi populorum necessitate, hoc munus exercere, et ad hoc se habiles reddere: ad id enim fuerunt ordinati. Quare Confessiones excipere non est simplex charitatis opus, sed officium Sacerdotum proprium, cui ex Christi institutione hujusmodi obligatio est adnexa, eique satisfacere tenentur Sacerdotes, quando urget populorum necessitas. Audiant illi, qui ob desidiam, vel metum peccandi, aliamve inanem causam tale munus abhorrent.

(p) *Argum. ex L.* Barbarius 3. *D. de offic. Prætor.* (q) *Citat. sess. cap. 7.*

124. *An solus titulus coloratus, vel solus error communis sufficiat ad supplendam jurisdictionem?*

Solus titulus coloratus non sufficit juxta omnes; quia deficit bona fides in pœnitente. Utrum sufficiat solus error communis, disputatur: aliqui communius negant; quia in lege civili uterque requiritur: alii forte probabilius affirmant; habetur enim eadem ratio, nempe ad impedienda scandala, gravia damna etc.

125. *Peccat ne sacerdos, qui titulo colorato et errore communi absolvit?*

Peccat graviter; quia usurpat jurisdictionem, quam scit non habere.

126. *Quid est articulus, quid periculum mortis?*

Articulus est, quando mors probabiliter imminet: periculum vero, quando mors probabiliter timetur; ut in bello, difficili partu, periculosa sectione etc.

127. *An in periculo etiam jurisdictio suppleatur in simplici sacerdote?*

Alii negant, quia Trid. de solo articulo loquitur: alii vero communiter et probabilius affirmant; tum quia in jure canonico quoad rem præsentem pro eodem sumitur articulus, et periculum (r); tum quia eadem habetur ratio, ac in articulo (28).

128. *Potestne simplex sacerdos in articulo vel periculo mortis absolvere, præsente Confessario approbato?*

Minime; nam potest absolvere, quando deest copia habentis jurisdictionem (29). Excipitur tamen 1. si jam incepta sit confessio: 2. si approbatus aliquo canonico impedimento sit ligatus: 3. secundum nonnullos quando moribundus horret se approbato confiteri.

129. *Simplex Sacerdos potestne absolvere a venialibus?*

Nequaquam, sicut habetur ex decreto Innoc. XI. ann. 1679. quia requiritur jurisdictio: quare non solum illicita, sed etiam invalida esset talis absolutio, quicquid aliqui immerito sentiant.

(r) *Uti ex can.* Si quis suadente *29. caus. 17. q. 4. et alibi.*

(28) Idem dicendum de eo, qui est in probabili periculo incidendi in amentiam.

(29) Quod patet etiam ex Rituali Rom. de Sacr. Pœn. et ex Catech. Rom. de Pœn. num. 55. Non desunt tamen permulti DD. contra sentientes.

130. *Approbatus in una diœcesi censeturne approbatus in alia?*

Minime; sed requiritur nova approbatio Episcopi illius loci; uti patet ex Trid. ex constit. *Superna* Clem. X. et ex bulla Innoc. XIII. *Apostolici ministerii*, per aliam bullam Bened. XIII. confirmata.

131. *Potestne Parochus suum subditum absolvere in aliena diœcesi, ubi non est approbatus?*

Utique, quidquid aliqui dicant, dummodo fiat sine scandalo; quia Parochus ubicumque moratur, est pastor suarum ovium; et patet ex declar. S. Congreg. die 5. Decembris 1707.

132. *An alius Confessarius possit absolvere subditum sui Episcopi in aliena diœcesi?*

Si est Regularis, non potest, uti fuit declaratum cit. const. *Superna* Clem. X. Si est Sæcularis, quæstio est: sed probabilius non potest; nam si non potest Regularis, potiori ratione non potest Sæcularis (30).

133. *Potestne Confessarius, sive Regularis, sive Sæcularis, absolvere in diœcesi, in qua est approbatus, subditos alienæ diœcesis, in qua non est approbatus?*

Maxime; nam jurisdictio est localis: et pro Regularibus patet ex cit. constit.

134. *An valida sit confessio facta Regulari injuste reprobato?*

Minime; quia non habetur jurisdictio, et constat ex prop. 13. ab Alex. VII. damnata (*).

135. *Potestne Parochus eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem sine Episcopi approbatione?*

Negative, uti habetur ex prop. 16. ab Alex. VII. proscripta (**); nam quamvis jurisdictio absolvendi in Parocho sit ordinaria, est tamen in solo foro conscientiæ.

(30) Et clare eruitur ex bulla Innoc. XII. *Cum sicut* an. 1700. die 19. Apr. edita, in qua nullæ declarantur confessiones, quæ fiunt sine approbatione Ordinarii loci, in quo pœnitentes morantur; et Confessarii ipso jure suspensi: quæ quidem bulla fuit confirmata per bullam Bened. XIV. *Apostolica.*

(*) Propositio erat *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.*

(**) Hæc ajebat: *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

136. An possit Episcopus, dum in aliena diœcesi moratur, confiteri Sacerdoti non approbato?

Minime, sicuti patet ex declaratione S. Congregationis a Greg. XIII. confirmata die 1. Decembris 1582. nam Episcopus in aliena diœcesi non habet jurisdictionem. Sed conceditur Episcopo secum posse ducere Confessarium jam approbatum, et illi sua peccata confiteri.

137. Religiosus iter agens potestne simplici Sacerdoti se confiteri?

Potest se confiteri alteri socio Religioso, quamvis non approbato; hoc enim privilegium Religiosis iter agentibus est concessum ab Innoc. IV. et aliis Pontificibus. Utrum vero possit se confiteri alteri Sacerdoti, quæstio est: sed probabilius potest, uti clare videtur ex concess. Xisti IV. et Innoc. VIII.

138. In quam pœnam incidit Sacerdos sine facultate absolvens?

Sacerdos Regularis incidit ipso facto in excommunicationem, uti ex decretis S. Congregationis. Sacerdos Sæcularis præter excommunicationem incidit in suspensionem ex Innoc. XII. si præsumptuose hoc facit, * et in pœnam carceris arbitrio Ordinarii, sicuti habetur ex nostra Synodo p. 2. cap. 8.*

139. In quam pœnam incidit, qui utitur falsis pagellis, vel illas efformat?

Si est Sacerdos incidit in excommunicationem, et pœnam triremium ad quinquennium. Si vero est Clericus, et audit confessiones, est degradandus, et brachio sæculari tradendus (*s*).

140. Quotuplex est officium Confessarii?

Officium Confessarii quadruplex est, Ministri nempe, Judicis, Medici, et Doctoris (*t*).

141. Quænam dotes desiderantur in Confessario?

Sequentes: vitæ probitas, scientia conveniens, prudentia, summa charitas atque patientia.

142. Quænam probitas vitæ requiritur in Confessario?

Saltem ut absque peccato lethali hoc sacramentum ministret: quare Confessarius hoc sacramentum ministrans in statu lethali gra-

(*s*) *Ex constit Clem. VIII.* Et si alia, et *constit. Urbani VIII.* Apostolatus.

(*t*) *Trid. sess. 14 cap. 2. 5. 6. et 7.*

viter peccat; quia indigne sacramentum ministrat: et ex probabiliore ratione tot peccata committit, quoties absolvit (31).

143. Status gratiæ requiritur in danda absolutione tantum, an etiam in audienda confessione etc?

Quidquid alii sentiant, sufficit in danda absolutione; tunc etenim ministratur sacramentum.

144. Sacerdos improbus absolvitne valide?

Maxime, uti ex Trid. (u*): nam sacramenti virtus non ex opere operantis, sed ex opere operato est.

145. Quænam scientia requiritur in Confessario?

Scientia competens; ut nempe sciat Confessarius decernere in casibus obviis, et dubitare in extraordinariis, respectu personarum et loci, quarum vel in quo excipit confessiones (32).

146. Qui bona fide confessus est peccata sua Confessario ignoranti, teneturne denuo sua peccata alteri confiteri?

Minime; quia absolutio non pendet ab scientia Confessarii. Sed si pœnitens postea cognoverit in aliquo necessario Confessarium errasse, tenetur illud supplere.

147. Teneturne Confessarius pœnitentem interrogare?

Tenetur, quando cognoscit pœnitentem ignorare, vel non exprimere aliquid necessarium; nam Confessarius, quantum morali-

---

(31) Relege dicta in x. tract. num. 33. 34. 35. et subjectis notis: nec non in tract. IV. num. 30. nota (*).

(u*) *Sess. 14. can. 10.* ubi habetur: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, et solvendi non habere . . . . . anathema sit.*

(32) Si Confessarius erravit circa absolutionis valorem sine sua culpa, non tenetur cum gravi incommodo pœnitentem monere. Excipe, si pœnitens sit in articulo mortis, vel in gravi periculo non amplius confitendi, vel si Confessarius sit Pastor. Si vero sua gravi culpa erravit, probabilius tenetur etiam cum gravi incommodo pœnitentem (petita ab eo licentia) de errore monere. Excipitur, si pœnitens iterum postea fuerit absolutus, vel (juxta aliquos) Eucharistiam deinde susceperit. Cum autem error est circa integritatem Confessionis, tunc si Confessarius negative se habuit, scilicet non interrogando, etiam culpabiliter, non tenetur, nisi in Confessione, de errore monere. At si ad hoc positive induxerit pœnitentem gravi sua culpa, tenetur etiam extra Confessionem, petita licentia, illum monere; modo non adsit scandalum, vel grave damnum: contra non tenetur extra Confessionem, si bona fide hoc fecerit.

Ad quid teneatur Confessarius, qui pœnitentem non monuit de onere restitutionis, vel eum ad indebitam obligavit restitutionem, dictum est in VIII. tract. num. 131. 132. et 133.

liter potest, debet procurare pœnitentis dispositionem, et integram peccatorum confessionem (*x* * *33*).

148. Teneturne Confessarius pœnitentem interrogare de peccato, quod scit pœnitentem commisisse, et alteri non esse confessum?

Tenetur, et non potest pœnitentem absolvere hoc peccatum non exprimentem, quando Confessarius certo scit, pœnitentem non fuisse illud alteri confessum, et nullam habere rationabilem causam illud tacendi: nam absolutio non esset valida, et pœnitens evidenter indignus. Dixi *quando certo scit Confessarius* etc. nam in alio casu potest illum absolvere; quia pœnitens in foro sacramentali stat pro se, et contra se, et ei est credendum, dummodo contrarium certo non constet.

149. Quid agendum, si hoc peccatum Confessarius sciverit ex confessione alterius pœnitentis?

Debet Confessarius eligere medium, ut pœnitens confiteatur suum peccatum, salvo semper sigillo sacramentali: at interim non potest illum absolvere, quidquid alii in contrarium dicant; quia ageret contra propriam conscientiam, et ministraret sacramentum nullum, quod est intrinsece malum (*34*).

(*x*) Et habetur ex cap. *Omnis utriusque sexus* 12. de pœnit. et remiss. et ex Rit. Rom.

(*) Quod ad praxim attinet, sequentia notentur a Confessariis. 1. Non debet Confessarius nimis anxius esse in interrogando: sed satis est de iis tantum interrogare, quæ probabiliter pœnitenti conveniunt, juxta statum et conditionem suam: aliter indiscretum esset interrogare. 2. Non sit Confessarius curiosus interrogando de non necessariis. 3. Non adest obligatio interrogandi eos, qui videntur satis instructi, et diligentes. 4. Contra non expedit rusticos, idiotas etc. qui non sunt satis examinati, dimittere ad se melius examinandum; quia ad hoc ordinarie impares sunt: quare debet illos Confessarius examinare. 5. Melius est singula quæ pœnitens enarrat examinare, quam omnia in finem reservare: modo id non videatur intempestivum; tunc enim melius est sini pœnitentem prius se explicare quantum potest, ne importunitate et continua interruptione terreatur. 6. Sufficit pœnitentem leviter interrogare, si timetur in illo periculum peccati formalis: ut puta si sint examinandi in re turpi pueri, vel puellæ. Et generatim interrogationes in materia castitatis debent esse paucæ, et cautæ.

(*33*) Utrum teneatur Confessarius pœnitentem monere erronea conscientia laborantem, jam dictum est in II. tract. num. 21.

(*34*) Quomodo se gerere debeat Confessarius in danda vel neganda absolutione, præsertim consuetudinariis, recidivis, et occasionariis, jam dictum est in IV. tract. part. 1. cap. 5. et 6. præcipue in num. 49. 50. 51. 61. ac notis subjectis.

Utrum possit absolvi pœnitens, qui vult sequi opinionem contrariam illi, quam tenet Confessarius, diximus in II. tract. num. 37. nota (13).

CAPUT VIII.

DE SIGILLO SACRAMENTALI.

150. Q*uid est Sigillum Sacramentale?*

Est strictissima obligatio reticendi omnia, quæ audita sunt in confessione in ordine ad absolutionem, sive sint peccata, sive non (*).

151. Differtne a secreto naturali?

Maxime; nam sigillum sacramentale in nullo casu aperiri potest: secretum naturale aliquando potest manifestari, puta ob bonum commune etc.

152. Quo jure est servandum sigillum sacramentale?

Omni jure: jure naturæ, quod obligat sub secreto custodire, quæ sub secreto alicui sunt commissa: jure divino, uti patet ex

---

(*) Quare per se non inducitur hujusmodi obligatio 1.° per fictam confessionem, puta ad furandum, illudendum, Sacerdotem pervertendum etc. at in casu prudentia obligat ad tacendum. 2.° Si quid alicui extra confessionem sit commissum sub sigillo confessionis: in casu adest tantum obligatio servandi secretum vi pacti etc. 3.° Si peccata alia via sint Confessario nota: sed tutissimum est silere.

Cadunt sub sigillo sequentia. 1. Pœnitentia imposita, si sit gravis. 2. Virtutes, aut revelationes, si dicantur ad explicandum aliquem defectum, vel propriam ingratitudinem erga Deum. 3. Defectus naturales animæ vel corporis, e. c. quod sit pœnitens ignobilis, pauper, ignarus, illegitimus, surdus etc. si ad explicanda peccata sint manifestati. 4. Ex veriori sententia peccata a pœnitente in ipsa confessione commissa, puta impatientiæ, contumeliæ in Confessarium etc.

Confessarius ad sigillum tenetur, si confitens discedat sine absolutione.

In dubio utrum aliquid sit dictum in ordine ad absolutionem, Confessarius tenetur ad sigillum.

Non frangitur sigillum, si Confessarius dicat aliquem esse sibi confessum; sed aliquando est periculosum: immo juxta nonnullos in casu frangitur sigillum, si pœnitens verbo, vel facto, puta clam accedendo, significaverit se nolle sciri quod sit confessus.

Probabilius non potest Confessarius pœnitenti roganti schedulam negare de peracta confessione: immo omnino est concedenda, si pœnitens coram aliis illam petit. In hujusmodi schedulis simpliciter scribatur *N. N. esse confessum*, sive sit absolutus, sive non.

Si Confessarius sit interrogatus utrum pœnitens aliquod commiserit peccatum, vel illud fuerit confessus, vel fuerit absolutus, debet omnino dicere se nihil scire, etiam juramento, si opus sit, quocumque modo sit facta interrogatio; etiamsi rogetur ad respondendum ut minister Confessionis, sine æquivocatione etc. quidquid aliqui sibi somnient. Melius est ab initio interrogantem objurgare, dicendo: *Quænam est ista interrogatio? etc.*

perpetua traditione, et Ecclesiæ consensu: jure ecclesiastico, et constat ex pœnis ab Ecclesia contra violatores emanatis (*y*).

153. Confessarius tantum, an alii etiam ad sigillum teneantur?

Tenentur omnes, qui mediate vel immediate, licite vel illicite audierunt dicta in ordine ad absolutionem (35 ✻).

154. An teneatur, qui chartam reperit, in qua scripta est confessio?

Aliqui affirmant: aliqui probabilius negant; hæc enim scriptura per se non est immediate ordinata ad sacramentum. Attamen iste tenetur ex strictissimo secreto naturali, ita ut ne ipse quidem possit chartam legere (36).

155. Peccata publica, quæ tamen ignorabat Confessarius, caduntne sub sigillo?

Maxime; Confessarius enim nonnisi ex confessione illa novit.

156. Peccata venialia caduntne sub sigillo?

Peccata venialia in specie cadunt sub sigillo; etenim non sunt per se nota: venialia in genere utrum cadant, quæstio est: aliqui affirmant, quia etiam sunt in confessione audita: alii negant, cum sint per se nota (37).

(*y*) *Cit. cap.*

(35 ✻) Quare ex vera sententia tenentur 1.° Superior, a quo petitur licentia absolvendi a reservato. 2.° Interpres Confessionis. 3.° Qui furtive, vel casu aliquid audit de dictis in confessione. 4.° Adstantes, coram quibus fit Confessio ex necessitate, ut puta in conflictu, naufragio etc. 5.° Omnes, quibus sacrilegè est revelatum de auditis in Confessione. 6.° Laicus vel Clericus, qui pro Confessario est habitus. 7.° Doctor a Confessario de licentia pœnitentis consultus; præsertim si ei manifestatur peccatum, ut Confessarius recte se gerat in administratione Sacramenti: contra probabilius non tenetur doctor, si ab ipso pœnitente sit consultus.

Probabilius tenetur 1. Confessarius, cui pœnitens, antequam confiteatur, peccata committit propter Confessionem in posterum ei faciendam: 2. qui per examen pœnitentem ad confessionem disponit.

Pœnitens vero tenetur strictissimo secreto naturali reticere a Confessario sibi dictà, quorum propalatio damnum afferre posset. Immo aliqui, sed minus recte, pœnitentem quoque ad sigillum sacramentale adstringunt.

(36) Idem dicatur de eo, qui alterius Confessionem scribit.

At si scriptura ex necessitate evadat immediata Confessio, ut in muto, in eo qui a Superiore absente petit facultatem absolvendi a reservato etc. tunc probabilius servandum est sigillum.

(37) At juxta hanc sententiam potest Confessarius dicere pœnitentem confessum esse materiam venialem; non autem plura venialia.

157. Duo Confessarii ejusdem pœnitentis possuntne ad invicem de peccatis in confessione auditis loqui?

Minime sine pœnitentis expressa licentia; quia uterque Confessarius ad sigillum tenetur.

158. An possit Confessarius cum eodem pœnitente loqui de auditis in confessione?

Extra confessionem non potest sine pœnitentis licentia; posset enim pœnitenti esse odiosum, atque molestum (*38*): in eadem confessione potest, stante justa causa; quia agitur de eodem judicio: an possit in alia confessione, litigium est: sed probabilius ex rationabili causa etiam potest, cum sit in foro sacramentali, et ob spiritualem pœnitentis profectum.

159. Quotuplici modo potest violari sigillum?

Duplici modo, directe, vel indirecte: directe, quando aperte, et expresse aliquod manifestatur sub sigillo cadens: indirecte, quando signis aliove modo sigillum exsolvitur.

160. Contra quam virtutem peccat, qui sigillum violat?

Peccat 1. contra fidelitatem ob tacitam promissionem secreti: 2. contra justitiam ob revelationem delicti occulti: 3. contra Religionem ob injuriam sacramento illatam; et hac ratione istud peccatum non admittit parvitatem materiæ.

161. In quas pœnas incidit violator sigilli sacramentalis?

Sacerdos præsumtuose revelans aliquod peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum, e sacerdotali officio est deponendus, et in arctum monasterium ad perpetuam pœnitentiam detrudendus (z*).

162. Potestne in aliquo casu sacramentale sigillum aperiri?

In nullo casu; nisi de licentia pœnitentis.

(*38*) Sic etiam probabilius non licet extra Confessionem cum pœnitente, sine ejus licentia, loqui de aliquo defectu in Confessione commisso.

Si pœnitens incipiat loqui cum Confessario de dictis in Confessione, tunc facto dat licentiam.

(z) *Cap. cit.*

(*) Ad quas pœnas incurrendas requiritur 1. quod violans sit Sacerdos: 2. ut revelet aliquod peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum: 3. ut revelet præsumptuose: 4. ut revelet alicui alteri, quam ipsi pœnitenti: *ita ex cit. cap.*

163. Quænam debet esse hujusmodi licentia?

Debet esse expressa, plena, voluntaria, et omnino libera, de determinato peccato, et de determinata persona.

164. An possit Confessarius uti scientia per confessionem acquisita?

Sine ulla confessionis revelatione directa vel indirecta, et sine ullo gravamine pœnitentis potest: nulla enim injuria affertur pœnitenti, nec confessio redditur odiosa. Si autem adsit aliqua etiamsi minima suspicio confessionis, vel pœnitentis gravamen, nullo casu potest, quamvis agatur de bono vel damno communi, aut de majore gravamine et damno, vel bono pœnitentis etc. uti patet ex propositione damnata decreto S. C. generalis Inquisitionis Innoc. XI. auctoritate edito die 18. Novembris 1682. (*)

165. Quid si Confessarius non utens scientia confessionis cum gravamine pœnitentis, aliquod intrinsece malum esset operaturus?

In hoc casu auxilio Dei debet eligere aliquod medium, quo servet sigillum, et malum non operetur.

(*) Hinc ex communi sententia potest Confessarius uti notitia confessionis ad se cautiorem reddendum, ad reformandos proprios mores, ad servandam propriam vitam, ad diligentius invigilandum etc. modo nulla adsit etiam minima suspicio confessionis, neque minimum pœnitentis gravamen. Magna tamen cautela in hisce se gerere debet.

Contra, quicquid opinentur aliqui, omnino non potest superior ob peccatum in confessione auditum subditum amovere ab officio, *ex decr. Clem. VIII. edito 26. Maji 1594.* neque ei suffragium negare in electione officii vel beneficii, *ex prop. damn. sup.* Item non potest Confessarius ex notitia confessionis pœnitentem claudere, ne exeat ad peccandum; claudere fores vel arcam, famulum dimittere, claves aut pecuniam ab eo vel ab arca auferre, ne furetur; severiorem vultum pœnitenti ostendere, vel ei pristinam amicitiam negare; Communionem pœnitenti denegare, etiam occulte petenti. Item non potest Episcopus ordinem indigno ex confessione cognito negare, Parochus assistentiam matrimonio etc. Sic non potest Confessarius se celare, aut se excusare, etiam aliquo colorato prætextu, ab audiendo pœnitente, quem ex confessione novit solitum esse multa afferre peccata, vel esse indispositum: excipe, si justam habeat causam, ob quam etiam ab aliis pœnitentibus incognitis æque se excusaret.

Potest Confessarius se celare ad vitandas minas a pœnitente ei intentatas ob denegatam absolutionem: modo nulla aliis ingeratur suspicio.

CAPUT IX.

DE RESERVATIONE.

166. *Quid est Reservatio?*

Est restrictio jurisdictionis in ordine ad aliquod peccatum, vel censuram (39).

167. *Adestne in Ecclesia potestas reservandi?*

Maxime, et est de fide, sic habetur ex Trid. sess. 14. can. 11. (*) nam cum ad absolvendum requiratur jurisdictio, hæc potest tolli, ampliari, restringi etc. prout videtur Superiori.

168. *Quænam peccata reservantur?*

Mortalia, externa, et consummata: mortalia, quoniam venialia non sunt materia necessaria confessionis: externa, interna enim, quamvis possint reservari, quia agitur de foro interno, de facto tamen non reservantur: consummata, nam debet esse completus actus a lege sub reservatione prohibitus.

169. *Impuberes incidun tne in casus, vel censuras?*

* Non incidunt in casus et censuras nostræ diœcesis; quia requiritur ætas quatuordecim annorum: excepto casu immodestiæ, ad quem incurrendum sufficit ætas duodecim annorum quoad mulieres. * Idem docent Theologi fere omnes quoad censuras, et aliqui quoad casus de jure communi (a 40).

170. *Absolutus a reservato per Confessarium non habentem facultatem teneturne confessionem repetere?*

Vel fecit mala fide, et tenetur; invalide enim recepit sacramentum ob indispositionem: vel fecit bona fide, et sola reservata confessus est, tunc tenetur denuo confessionem repetere; nam abso-

(39) Hinc reservatio directe et principaliter afficit Confessarium, indirecte et minus principaliter pœnitentem.

(*) Verba Trid. sunt: *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quo minus sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.*

(a) *Argum. ex cap.* Pueris 1. *et* Referente 2. *de delict. pueror.*

(40) Verior sententia tenet Moniales non exemtas subjacere casibus et censuris ab Ordinario generaliter reservatis: utrum vero hujusmodi reservationi subjaceant Moniales exemtæ, discrepant DD.

lutio fuit nulla defectu jurisdictionis in Confessario: vel bona fide confessus est reservata, et non reservata, tunc de reservatis tantum debet repetere confessionem ad obtinendam eorum absolutionem directam.

171. Potestne aliquando simplex Confessarius absolvere pœnitentem a non reservatis, illum remittendo superiori pro reservatis?

Potest (omissa contraria sententia) in casu magnæ necessitatis; (✻ *41*) talis enim necessitas excusat ab integritate materiali. In quo casu pœnitens remanet absolutus directe a non reservatis, indirecte a reservatis.

172. An simplex Confessarius possit absolvere a reservatis, si commissa fuerint tempore, quo non aderat reservatio?

Minime; quia nunc temporis, quo absolvere vult, non habet jurisdictionem.

173. An possit simplex Confessarius a peccatis tempore reservationis commissis absolvere tempore, quo ablata est reservatio?

Maxime, quia nunc non privatur jurisdictione.

174. Potestne Confessarius simplex a reservatis absolvere, quando illicite facta est a superiore reservatio?

Nequaquam; quoniam (quidquid aliqui dicant) valida est reservatio, quamvis illicita (*42*).

175. Potestne pœnitens, cui injuste fuit denegata absolutio a reservatis ab habente facultatem, absolvi a simplici Confessario?

Negative; nam simplex Confessarius privatur jurisdictione.

176. Simplex Confessarius potestne absolvere a reservatis dubiis?

Si sunt dubia facti, potest, quidquid aliqui in contrarium sentiant; quia peccata certa et non dubia reservantur: si sunt du-

---

(✻) Puta si urgeat necessitas communicandi, vel implendi præceptum annuæ confessionis, aut ne diu pœnitens maneat in statu lethali, et nequeat superior adiri sine scandalo, aut nota infamiæ, aut alio gravis damni periculo, vel sine magna difficultate ob longam distantiam etc.

(*41*) In casu tenetur pœnitens etiam reservata confiteri, si eorum manifestatio sit necessaria ad pœnitentis dispositionem cognoscendam, ad remedia salutaria præscribenda, si Confessarius de illis interroget: immo tutius est semper hujusmodi peccata confiteri, *D. Thom. q. 9. supplem. a. 2. ad 4.*

(*42*) Idem rectius dicendum, si injuste a superiore negatur facultas absolvendi a reservato.

bia juris, nempe utrum sint reservata, quæstio est; uti est quæstio, an possit sacramentum ministrari cum dubia jurisdictione (43).

177. Absolutus a reservato dubio teneturne illud habenti facultatem confiteri, si postea deprehendat certo esse reservatum?

Si fuit absolutus ab habente facultatem, non tenetur; fuit enim absolutus per quantum indigebat, et Confessarius poterat. Si autem fuit absolutus a non habente facultatem, litigium est: alii communiter negant; quia peccatum non amplius existit, cum fuerit directe absolutum ab eo, qui poterat illud absolvere uti dubium: alii affirmant; nam sicut pœnitens denuo tenetur confiteri peccatum postea inventum certum, quamvis sit illud confessus uti dubium, ita et de reservato.

178. Casus reservati per oblivionem in confessione prætermissi remanentne a reservatione liberi?

Si oblivio fuerit culpabilis, non remanent a reservatione liberi; nam absolutio fuit nulla. Si vero oblivio fuerit inculpabilis, tunc si confessio facta fuit habenti facultatem, quæstio est: aliqui affirmant; quia Confessarius absolvit in quantum poterat, et pœnitens indigebat: alii negant; quia tales casus nullo modo fuerunt in confessione expressi, neque absolutioni submissi: si autem confessio fuit facta non habenti facultatem, potiori ratione dicendum est, non remanere istos casus a reservatione liberos; cum desit omnino facultas in Confessario.

179. Cessatne reservatio, quando confessio de reservatis facta habenti facultatem fuit invalida?

Aliqui affirmant communius; quia reservatio tantum ordinatur, ut pœnitens se præsentet habenti facultatem, et ab eo recipiat debitam satisfactionem: alii vero negant; quia confessio invalida se habet uti si facta non fuisset.

180. Facultas absolvendi a reservatis extenditurne etiam ad commissa in confidentiam talis facultatis?

Maxime (contra aliquos); quia hujusmodi confidentia non aufert facultatem obtentam: excipe, si talis limitatio et exceptio contineatur in ipsa facultatis concessione, uti habetur in bulla Cruciatæ.

(43) Recole dicta in tract. II. num. 30. et 51.

181. *An facultas absolvendi a reservatis extendatur ad commissa post obtentam facultatem?*

Maxime, dummodo facultas non fuerit data determinate et definite; nam intelligitur concessa prout erit opus (44).

CAPUT X.

DE VARIIS RESERVATIONUM SPECIEBUS: ET DE IIS, QUI POSSUNT A RESERVATIS ABSOLVERE.

182. *Quotuplicis generis sunt casus reservati?*

Alii sunt papales, nempe Papæ reservati: alii episcopales, seu Ordinario reservati. Item sunt cum censura, vel absque.

183. *Quotuplicis generis sunt papales?*

Triplicis generis, nempe generales, speciales, et specialissimi: generales sunt illi, a quibus absolvere potest quilibet Confessarius generalem habens facultatem absolvendi a reservatis; uti sunt casus, qui continentur in corpore juris. Speciales dicuntur illi, qui non continentur in generali concessione; sed requiritur specialis facultas absolvendi ab illis: præcipui sunt sex, qui dicuntur extra Urbem et intra Italiam, scilicet sic specialiter reservati in ambitu Italiæ, at non in civitate Romæ, per decretum S. Congr. de speciali mandato Clementis VIII. anno 1601. editum: hi sunt percussio gravis, vel enormis facta Clerico aut Religioso; duellum juxta Trid. et Gregor. XIII. terminos; violatio clausuræ facta ab existente extra monasterium ad turpem finem; violatio immunitatis Ecclesiæ; simonia realis in beneficiis, in ordinibus, et in professione commissa; et simonia confidentialis. Sic etiam erant specialis reservationis omnes casus Bullæ Cœnæ. Specialissimi denique sunt, qui ne in concessione quidem speciali continentur, sed specialissima indigent facultate: et sunt absolutio complicis in re turpi,

(44) Aliqui limitant, si facultas pro particulari pœnitente sit impertita, et magna interponatur distantia, puta ultra mensem; vel sit data facultas intuitu alicujus festivitatis, indulgentiæ etc.

juxta aliquos; violatio clausuræ facta a monialibus ad turpem finem; hæresis externata; donatio gratuita ultra decem accepta a persona religiosa; falsa accusatio contra Confessarium de crimine sollicitationis: ultimi duo sunt absque excommunicatione.

184. Quotuplicis generis sunt casus episcopales?

Alii dicuntur casus *Nobis*, illi nempe qui sunt a jure generali vel a Sancta Sede Episcopis reservati; et permulti numerantur in jure (45). Alii vocantur *a Nobis*, illi nempe, qui ab ipso Ordinario sunt sibi reservati, uti sunt casus omnes in qualibet diœcesi a Synodis, vel ab Ordinariis reservati cum censura, vel absque. Hujusmodi casus etiam sunt alii generales, et alii speciales: primi continentur in generali concessione facultatis, et generis voce dicuntur *a Nobis*: secundi indigent facultate speciali, et dicuntur casus *Sibi*.

*185. * In nostra diœcesi quinam sunt casus generales, et quinam speciales?*

Generales sunt, qui leguntur in tabella: speciales sunt sequentes: 1. Locutio cum Monialibus vel cum aliis in monasterio degentibus de rebus obscœnis, et alii actus impudici coram eisdem. 2. Expensæ ultra decem ratione officii factæ a Monialibus vel ab aliis in monasteriis, conservatoriis, collegiis, domibusque oblatarum degentibus, in quibuscumque functionibus, aut festivitatibus. 3. Invitationes ad Ecclesias Monialium, et Regularium etiam exemptorum, occasione quarumcunque functionum, et solemnitatum. 4. Suspensio Clerici ob falsum, fictum, aut fiduciarium patrimonium, aut quomodolibet fraudulentum. 5. Suspensio ab audiendis Confessionibus, quam incurrunt Confessarii Regulares sollicitantes, et Confessarii, tam Regulares quam Sæculares, absolventes complicem.

---

(45) Præcipui casus *Nobis* sunt: 1. Abortus fœtus animati. 2. Percussio levis Clerici vel Monachi: item percussio etiam publica, gravis, vel enormis in aliquibus casibus, ut est dictum in v. tract. num. 69. 3. Effractio et expoliatio Ecclesiæ, si non sit S. Sedi denuntiata. 4. Suspensio Sacerdotis, vel Parochi, qui matrimonio assistit, vel benedicit sine venia proprii Parochi: quæ quidem suspensio est reservata Ordinario illius Parochi, qui matrimonio interesse debebat. Suspensio ab officio pro Clerico, qui usurarii publici oblationes excipit, et casus sepulturæ etc. prout est dictum in tract. IX. num. 297. nota (99).

Sic etiam dici possunt omnes casus occulti ex cap. *Liceat* etc. et generatim omnes, de quibus infra dicetur num. 192. subjectisque notis.

in re turpi. 6. Casus immodestiæ. 7. Denique casus omnes quibus est adnexa excommunicatio Summo Pontifici, et Ordinario nostro reservata. *

186. Quinam possunt absolvere a casibus Papæ reservatis?

Omnes qui habent debitam facultatem, prout hæc requiritur, vel generalis, vel specialis, vel specialissima.

187. Ex bulla Cruciatæ possuntne absolvi sex casus, qui dicuntur extra Urbem et intra Italiam?

Maxime, excepta tamen simonia reali in ordinibus, uti declaravit Eminentissimus Archiepiscopus Zurlo Commissarius generalis bullæ Cruciatæ in nostro regno.

188. Episcopi possuntne absolvere suos subditos a casibus Papæ reservatis?

Utique, sed in delictis occultis, et in foro conscientiæ tantum, sicut habetur ex cap. 6. *Liceat* Conc. Trid. sess. 24. de reformat. Item Episcopi possunt dispensare in omnibus irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, nec deductis ad forum contentiosum: excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario; ex loc. cit. (46)

189. An possint Episcopi in hisce casibus absolvere, vel dispensare peregrinos in sua diœcesi morantes?

Quoad irregularitates et suspensiones est quæstio: quoad reliqua possunt; nam peregrini in sacramento pœnitentiæ fiunt subditi.

190. Possuntne Episcopi hanc Tridentini facultatem generalem alteri Confessario concedere?

Maxime, etsi alii contrarium sentiant; patet ex consuetudine, et ratio est, quia est facultas ordinaria, cum sit concessa dignitati, et non personæ peculiari Episcopi; proinde potest delegari.

---

(46) Ex communiori sententia alii quoque Prælati episcopalem habentes jurisdictionem hujusmodi gaudent privilegio. Pro Prælatis Regularibus expresse habetur ex privilegio S. Pii V. a Ben. XIII. confirmato in bulla *Pretiosus* an. 1727. edita.

Item ex communiori sententia occultum dicitur delictum, si non est notorium, etiamsi probari possit: et tunc dicitur notorium, quando scitur a magna parte oppidi, viciniæ etc.

Probabile est posse Episcopum hujusmodi facultate uti, si delictum, licet alio loco sit publicum, in suo tamen territorio est occultum; modo non adsit timor, quod publicetur in isto territorio.

191. Ex cit. cap. Liceat *possuntne Episcopi absolvere ab hæresi externa occulta?*

Ex cit. cap. possunt (per se, non per alios); specialiter enim exprimitur à Trid. at aliqui volunt Episcopos facto renuntiasse huic speciali facultati.

192. Dantur casus, in quibus possunt Episcopi a Papæ reservatis absolvere, quamvis delictum non sit occultum.

Dantur, quando nempe adest impotentia vel physica vel moralis eundi Romam (*b* ✱ 47).

*193. * Quinam possunt absolvere a casibus et censuris nostræ Synodi?*

Omnes Confessarii; nam ex benignitate nostri Archiepiscopi

(*b*) *Ex cap. 13. 29. et 58. de sentent. excomm. et cap. 22. eod. tit. in 6.*

(✱) Hinc possunt ab Episcopo absolvi 1. Filiifamilias. 2. Regulares, etsi ante Religionis ingressum sit incursa censura; isti possunt a suis Prælatis absolvi, nisi enormis sit excessus. 3. Senes, idest septuagenarii, et probabiliter etiam sexagenarii. 4. Pauperes, qui ob inopiam nequeunt Romam petere: excipiuntur pauperes vagabundi: 5. Triremibus, aut carceribus perpetuo damnati. 6. Longa et gravi, licet non mortifera, laborantes infirmitate. Pro debilibus vero consulendus est Pontifex, nisi periculum adsit in mora. 7. Cura obstricti administrandi familiam. 8. Publicum gerentes officium, quod sine publico impedimento relinqui nequit. 9. Moniales (excepta violatione clausuræ etiam occulte) et ex probabiliori et communiori sententia omnes mulieres. 10. Impuberes. 11. Demum omnes alii, quicumque nequeunt Romam accedere ob aliquod grave periculum, inimicitiam, aliudve grave damnum spirituale vel temporale suum vel suorum. Sic habetur ex cit. cap. aliisque plurimis.

(47) Ut perpetuum dicatur impedimentum, sufficit si sit per decennium; immo per quinquennium juxta aliquos. Vide sis B. A. Ligorium, Ronc. Viva, Tamb. aliosque.

Si impedimentum est temporale, absolutus a censura est obligandus, ut se præsentet, impedimento cessante, illi, a quo debebat absolvi; et hoc sub reincidentia, *cap.* Eos qui *22. de sentent. excomm. in 6.* Excipiuntur tamen impuberes, *ex cap.* Quamvis *58. eod.*

Ex probabiliori et communi sententia qui non potest per se, non tenetur per epistolam, aut procuratorem S. Sedem adire. Sic pariter impeditus non tenetur adire Nuntium Apostolicum (si adsit) etiamsi facile possit; sed potest ab Episcopo absolvi.

Sic quoque probabile est, posse impeditum a quocunque Confessario absolvi, si nec Episcopum quidem possit adire, *ex cit. cap. 29.*

Ex probabiliori sententia possunt Confessarii Regulares pœnitentes etiam sæculares a casibus papalibus (exceptis illis qui speciali indigent facultate) in foro interno absolvere; quemadmodum eruitur ex privilegio Pauli III. Jesuitis concesso anno 1545. Sicuti etiam a casibus *Nobis*, excepta percussione Clerici. Vide sis B. Ligor. Append. de Privil. num. 100. et sequent. ac lib. 7. num. 96. et sequent.

cuilibet Confessario conceditur facultas absolvendi ab hisce casibus. Excipiuntur tamen casus in tabella descripti.

194. Quinam possunt a casibus tabellæ absolvere?

Qui facultatem habent vel generalem, vel specialem juxta opus. Confessarii autem, qui habent pagellam possunt absolvere 1. a casu blasphemiæ; 2. a casu sodomiæ, et bestialitatis; 3. a casu contra medicos non curantes, ut infirmi post tres dies confiteantur etc. Parochi possunt absolvere sponsos, qui habuerunt copulam inter se, brevi contracturos matrimonium; et eos, qui non satisfecerunt præcepto Paschalis Communionis, ab interdicto. *

195. Simplex Confessarius potestne absolvere peregrinum a reservatis in diœcesi, in qua est approbatus, cum non sint reservata in diœcesi peregrini?

Minime (contra aliquos); tum quia reservatio afficit Confessarium; tum quia peregrinus in ordine ad confessionem fit tanquam subditus diœcesis Confessarii (48).

196. An possit peregrinus absolvi a peccatis reservatis sui domicilii, in diœcesi, ubi non sunt reservata?

Maxime, omissa contraria opinione, dummodo non migret peregrinus in alienam diœcesim in fraudem reservationis; uti constat ex generali usu: ratio est, quia reservatio afficit Confessarium (49).

197. Peregrinus censura ligatus potestne absolvi a simplici Confessario alienæ diœcesis?

Si censura est de jure communi reservata, non potest; quia reservatio de jure communi afficit omnes Confessarios. Si censura est de jure municipali territorii peregrini, et est ab homine per sententiam specialem, non potest peregrinus absolvi, nisi a proprio superiore, ne perturbetur ordo; hæc enim censura specialiter est superiori reservata (50): vel censura de lege municipali est a jure,

---

(48) Sic etiam resolvit S. C. Episc. 17. Novemb. 1616. et eruitur ex bulla *Superna* Clem. X. edita 21. Junii 1670.

(49) Quodque confirmatur ex cit. bulla.
Variant DD. in explicando illo *in fraudem etc.* Probabilius videtur fraudem haberi, si peregrinus eo principali fine, ut sui superioris effugiat judicium, alienam petat diœcesim.

(50) At alii contrarium docent.

aut ab homine per sententiam generalem, potest absolvi; quia in aliena diœcesi hæc censura non est reservata.

198. Daturne casus, in quo peregrinus potest a simplici Confessario in aliena diœcesi absolvi a censura, quæ est ab homine per sententiam specialem?

Datur casus, et est quando peregrinus domicilium fixit in loco longe distante, quo moraliter loquendo non potest facile pervenire notitia, quod sit taliter censuratus; aut accessus ad proprium superiorem est difficilis ratione distantiæ aliusve justæ causæ; aut data cautione jurata se, quam primum possit, præsentandi superiori. Sed si notitia etc. potest facile pervenire, tunc ad tollendum scandalum in foro externo potest absolvi ab Ordinario loci, ubi moratur; uti colligitur ex cap. *Nuper* 29. de sent. excomm.

199. Daturne casus, in quo etiam simplex Sacerdos possit a reservatis absolvere?

Maxime, et est in articulo mortis, uti habetur ex perpetua Ecclesiæ traditione, et confirmatum fuit a Concilio Trid. nullam esse reservationem in articulo mortis, ne hac ipsa occasione aliquis pereat: sess. 14. cap. 7. quidquid aliqui sentiant de Sacerdote excommunicato vitando, degradato etc. Idem dicendum de periculo mortis ex eadem ratione, omissa contraria sententia; præcipue quando articulo periculum accedit (51).

200. Debetne Confessarius moribundo imponere, ut, si convalescat, se præsentet superiori?

Si reservationi nulla adsit adnexa censura, hoc non requiritur; uti habetur ex cap. *Eos qui* 22. de sent. excom. in 6. ita ut pœnitens non se præsentans superiori reincidat in eandem censuram.

201. An debeat Confessarius a moribundo exigere cautionem juratam pro adimpletione hujus obligationis?

Litigium est: alii affirmant, alii negant, alii denique volunt,

---

(51) Præsente Superiore, potest simplex Confessarius moribundum absolvere a peccatis tantum reservatis, non vero a censuris reservatis; sic ex vera sententia: sed ex communiori et probabiliori sententia non est in casu a superiore absente per literas vel internuncium facultas petenda.

Probabiliter etiam potest simplex Sacerdos, præsente Episcopo, moribundum absolvere a censuris Pontifici reservatis.

exigendam esse hanc juratam cautionem tantum pro censuris specialiter reservatis. Hoc intelligitur, cum hujusmodi cautio jurata exigenda a jure non sit expresse præcepta (52).

202. *In quam pœnam incidit, qui prætextu privilegiorum, absque facultate a reservatis absolvit?*

Qui hac ratione absolvit ab aliquo e sex casibus Clem. VIII. qui dicuntur extra Urbem et intra Italiam, aut a casibus Ordinario reservatis cum censura vel absque, incidit ipso facto in excomm. Papæ reservatam, privationem beneficiorum, et inhabilitatem ad talia beneficia in posterum obtinenda, et in privationem vocis activæ atque passivæ (*c*).

203. *Quidnam erant casus Bullæ Cœnæ?*

Erant viginti casus, fere omnes contenti in corpore juris, sed hac Bulla specialiter reservati.

204. *Quare dicitur* Bulla Cœnæ?

Quia quotannis feria v. majoris hebdomadæ in Cœna Domini solemniter promulgabatur.

205. *Quo tempore facta fuit hæc Bulla?*

Disputant Doctores de ejus origine: aliqui hujus Bullæ originem trahunt a Martino V. an. 1420. alii a Greg. XI. an. 1370. et alii volunt extitisse hanc Bullam ante Greg. VI. Præcipue tamen notatur a scriptoribus Bulla Urbani VIII. edita anno 1631. quæ incipit *Pastoralis*; et hæc a Doctoribus præsertim commendatur.

206. *A casibus in hac Bulla contentis possuntne pœnitentes absolvi per facultatem Bullæ Cruciatæ?*

Maxime, ut ajunt DD. quia vi Bullæ Cruciatæ possunt pœnitentes absolvi a casibus specialis reservationis. Excipiuntur tamen casus specialissimæ mentionis.

207. *Utrum adhuc vigeat hæc Bulla?*

Minime, ut docent Doctores: nam ex communi sententia ad valorem hujus Bullæ requiritur solemnis promulgatio quotannis fa-

---

(52) Hujusmodi cautio jurata expresse præcipitur in percussione gravi vel enormi Clerici aut Religiosi, *cap. 13. de sentent. excomm.* in communicatione crimini criminoso cum excommunicato nominatim, *cap. 29. eod.*

(*c*) *Ex decreto S. Congreg. a Clem. VIII. confirmato, quod incipit* Sacra Congregatio.

cienda, et a Pio VI. in posterum deest talis promulgatio. Notandum vero est, quod, quamvis non vigeat hæc Bulla, casus tamen in ea contenti remanent reservati, prout erant et sunt in corpore juris.

CAPUT XI.

DE PRÆCEPTO CONFESSIONIS.

208. *Adestne præceptum confitendi peccata?*

Maxime, uti eruitur ex Christi institutione, et definivit Tridentinum (*d*).

209. *Est divinum, an ecclesiasticum hoc præceptum?*

Quoad substantiam est divinum: quoad determinationem vero est ecclesiasticum (*e*).

210. *Quo tempore hoc præceptum obligat?*

Uti divinum obligat in probabili mortis periculo; aliter enim peccator damnatus ibit: an autem obliget etiam in vita, quæstio est. Uti ecclesiasticum obligat semel in quolibet anno (*53*).

211. *Quinam hoc tenentur præcepto?*

Omnes qui post baptismum peccatum mortale commiserint, etiam hæretici, schismatici, apostatæ.

212. *Num qui sola habet venialia, ad confessionem teneatur?*

Juxta probabiliorem et communiorem sententiam non tenetur: peccata enim venialia non sunt materia necessaria confessionis, ut docet idem Trid.

213. *An ille, qui in anno confessus est venialia tantum, si postea mortale aliquod committat ante finem anni, teneatur denuo confiteri?*

Affirmative; nam committendo mortale incipit teneri præcepto, quo prius non tenebatur.

(*d*) *Sess. 14. cap. 5.* (*e*) *Trid. loc. cit.*

(53) Sic fuit statutum in Concil. Lateran. IV. sub. Innoc. III. habito: quod decretum in cap. *Omnis utriusque sexus* relatum est, et a Trid. sess. cit. can. 8. confirmatum.

Juxta aliquos istud præceptum per accidens obligat peccatorem etiam infra annum, si non conteritur, ratione charitatis erga seipsum, ne diu maneat in statu lethali.

214. Quo anni tempore obligat hoc præceptum?

Non est hoc a lege definitum; ideoque in qualibet anni parte potest quis huic præcepto satisfacere.

215. Quomodo computatur annus?

Aliqui computant annum a mense Januarii ad Decembrem: alii autem juxta usum communiter receptum annum computant ab uno paschali tempore ad aliud.

216. Qui integro anno confessionem omittit, teneturne illam adimplere sequenti anno statim, cum primum possit?

Maxime; tempus enim in hoc præcepto est appositum non ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem (54).

217. Qui in principio vel in medio anni prævidet se non posse confessionem adimplere toto reliquo anni tempore, teneturne illam anticipare?

Utique, si sit peccator; quia jam obligationem contraxit, quam tenetur adimplere.

218. Quando quis ab hoc præcepto excusatur?

Quando adest impotentia physica, vel moralis, seu grave detrimentum; Ecclesia enim non obligat cum gravi dispendio.

219. Per confessionem nullam satisfit huic præcepto?

Negative, quia deficit modus intrinsecus: et oppositum fuit ab Alex. VII. damnatum in propositione 14. (*)

220. In quam pœnam incidit qui non implet hoc præceptum?

In interdictum ab ingressu Ecclesiæ; sed ferendæ sententiæ (*f*).

221. Sacerdos aliquo mortali maculatus, si ob urgentem necessitatem sola contritione celebraverit, teneturne postea statim confiteri?

Maxime, et quamprimum; ita fuit a Trid. præceptum sess. 13. cap. 7.

222. Quid denotat illud quamprimum?

Ad summum spatium trium dierum; quia apud jurisprudentes, quod fit intra triduum, dicitur fieri quamprimum, et continuo.

---

(54) Utrum iste teneatur denuo illo anno confiteri, quæstio est. Ex veriori sententia non tenetur, si confiteatur quoque aliquod mortale illo anno commissum.

(*) *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

(*f*) *Cit. cap.* Omnis utriusque.

223. *Potestne hoc quamprimum intelligi ad libitum Sacerdotis?*

Minime, uti habetur ex prop. 39. ab Alex. VII. damnata (*).

224. *Hoc mandatum Trid. est præceptum, an consilium?*

Est verum præceptum obligans sub gravi; et patet ex prop. 34. ab eodem Pontifice proscripta (**).

225. *An hoc præcepto teneantur etiam laici, qui mortali culpa maculati sola contritione ex necessitate Eucharistiam sumunt?*

Minime, quidquid aliqui opinentur; quia Tridentinum loquitur de Sacerdote celebrante.

226. * *Medicus qui non curat, ut infirmus a se visitatus confiteatur, inciditne in aliquam pœnam?*

Incidit in casum reservatum absque excommunicatione, si post dies tres a visitatione non curaverit, ut infirmus peccata sua idoneo Confessario confiteatur, aut alias illum non deseruerit; uti habetur in 4. tabellæ casu (55). *

CAPUT XII.

DE INDULGENTIIS.

Mitis modus pœnæ temporariæ pro peccatis luendæ sunt Indulgentiæ. Imperfectus videretur de Pœnitentia tractatus, nisi de illis quoque brevis daretur notitia.

227. QUid est *Indulgentia?*

Indulgentia, prout hic venit, est remissio pœnarum tempo-

(*) *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

(**) *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum est consilium, non præceptum.*

(55) * Cum sit iste casus secundum terminos constitutionum S. Pii V. et Innocentii XI. multa sunt in eo notanda, quæ fuerunt a consuetudine temperata in prædictis constitutionibus. 1. Hoc intelligitur de morbis gravibus (et in nostro regno de morbis periculosis). 2. Sufficit, si medicus infirmum moneat per alios. 3. Sufficit ut medicus de facta confessione testimonium habeat a b ipso infirmo, vel ab aliis fide dignis. 4. Non tenetur medicus infirmum monere, si moraliter sit certus eum esse in bono statu. 5. Tunc tenetur infirmum deserere, quando adest spes, quod infirmus ex hac desertione resipiscat, uti patet ex bull. et periculum infirmo non imminueat. *

ralium, quas pœnitentes in suorum peccatorum expiationem subire debent, facta Ecclesiæ auctoritate extra Sacramentum.

228. *Quotuplex est?*

1. Est perpetua vel temporanea, prout in perpetuum vel ad tempus est concessa. 2. Est partialis vel plenaria, prout vel integra pœna, vel ejus pars relaxatur (*g* 56). 3. Est pro vivis tantum, vel etiam pro defunctis.

229. *Adestne in Ecclesia potestas concedendi indulgentias?*

Maxime, et est de fide: quod præcipue constat ex Christi verbis Matth. 16. 19. *Tibi dabo claves Regni cælorum .... quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis*; et cap. 18. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo:* item constat ex constanti et perpetua Ecclesiæ traditione, ex variis Conciliis, et definitionibus Summorum Pontificum: et confirmatur a Trid. Syn. quæ sess. 25. Decr. de Indulg. *eos anathemate damnat, qui aut inutiles (indulgentias) esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.*

230. *Quamnam pœnam remittere valent indulgentiæ?*

Non solum pœnam a Sacerdote in Sacramento impositam, sed et pœnam secundum canones, et delictorum gravitatem ac numerum imponendam; immo etiam quamcumque pœnam temporalem, coram Deo pro peccatis luendam, sive in hac vita, sive in altera: uti eruitur ex cit. loc. Matth. ex pluribus pontificiis definitionibus, et universali Theologorum consensu, atque usu et praxi Ecclesiæ (57).

231. *Unde indulgentiæ vim repetunt suam?*

Ex illo in Ecclesia inexhausto thesauro, qui ex Christi meritis

---

(g) *Extravag.* Unigenitus Dei Filius 2. *de pœnitent. et remission.*

(56) Inter plenarias principem habet locum *Jubilæum*, quod quidem est indulgentia plenaria, nonnullis aucta privilegiis, quæ in aliis indulgentiis plenariis concedi non solent: quæ quidem privilegia ex verbis Pontificii diplomatis præsertim sunt inspicienda, atque ponderanda.

(57) Neque audiendi sunt illi pauci, qui potestatem Ecclesiæ concedendi indulgentias nihil aliud valere opinantur, quam ad relaxandam pœnitentiam a Sacerdote in Sacramento impositam: Sixtus IV. in bulla *Licet ea* hanc proscripsit Petri Oxomensis propositionem: *Romanus Pontifex pœnas Purgatorii remittere non potest*; et Leo X. inter alios hunc Lutheri errorem damnavit: *Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.* Lege sis D. Thom. in 4. dist. 20. q. 1. a. 3. et suppl. 3. p. q. 25. a. 1. in corp.

constat, eique B. Virginis aliorumque Sanctorum merita præstant adminiculum (*h*), per eam sic dictam communionem Sanctorum.

232. *Quinam possunt indulgentias concedere?*

Jure ordinario soli Episcopi, et imprimis Summus Pontifex; ipsis enim ligandi et solvendi potestatem Christus directe demandavit, sicuti patet ex perpetua traditione; et quia ad exteriorem jurisdictionem attinet indulgentias concedere (*58*). Ex delegatione vero omnes, quibus potest jurisdictio ecclesiastica demandari.

233. *Num possint isti earum indulgentiarum esse participes, quas aliis in communi largiuntur?*

Alii negant; cum nemo possit seipsum absolvere: alii vero cum D. Thoma (*i*) affirmant; quia in casu concedens non quidem directe seipsum absolvit, sed utitur iis rebus, quas aliis ex jurisdictione concessit.

234. *An requiratur causa ad indulgentias concedendas?*

Utique requiritur, non solum ut sit licita indulgentia, sed etiam, sicuti habet communis sententia, ut sit valida; Pastores enim Ecclesiæ non sunt domini bonorum Dei, sed ministri et dispensatores, et non valet hujusmodi dispensatio ab inferiore sine causa facta. Immo ex veriori sententia effectui, et quantitati indulgentiæ debet esse causa proportionata (*59*).

235. *Quinam sunt indulgentiæ lucrandæ capaces?*

Omnes baptizati et justi, tam vivi, quam defuncti, ut infra dicetur.

236. *Quænam conditiones requiruntur ad indulgentias lucrandas?*

Sequentes: 1. Ut quis sit baptizatus; quia in eos, qui foris sunt, Ecclesia nullam habet jurisdictionem. 2. Ut sit in gratia; quia non

(*h*) *Extravag cit.*

(*58*) Ex nova disciplina Episcopi tantum partiales indulgentias concedere possunt; Summus vero Pontifex etiam plenarias, *Conc. Later. IV. can. 62. necnon cap. 14. in fine de pœnit. et remiss.*

(*i*) *In addit. ad 3. part. q. 27. a. 4.*

(*59*) Ad causam proportionatam concurrere debent finis et opus injunctum. Finis debet esse aliquod bonum non exiguum; ut puta conversio infidelium aliorumve peccatorum, Ecclesiæ exaltatio, pax inter principes Christianos, Basilicarum aut nosocomiorum extructio, pauperum sublevatio in publica necessitate, ministrorum sustentatio, militia contra Ecclesiæ inimicos, captivorum redemptio etc. Opus vero debet esse ad finem aptum.

remittitur pœna ante culpam lethalem (60). 3. Ut sit subditus concedentis; quod per se patet. 4. Ut non sit excommunicatione majori irretitus, sicuti docet communis; quia excomm. major privat communione bonorum Ecclesiæ. 5. Ut opus injunctum integre, sancte, et debito fervore impleatur, eo loco, tempore, ordine, modo etc. quo fuit præscriptum (✻).

237. *Quid si opus injunctum sit aliqua circumstantia vitiatum?*

Si est mortaliter vitiatum, nulla valet indulgentia; tum quia deficit status gratiæ; tum quia opus, quod est causa indulgentiæ, desinit esse pium. Si opus autem venialiter est vitiatum, tunc inter varias opiniones probabilius et communius sic est distinguendum: si culpa, seu circumstantia venialis est finis operis, puta si quis oret ad vanam gloriam, non valet indulgentia; tunc enim corrumpitur ipsum opus, et desinit esse bonum: si vero circumstantia venialis comitatur tantum opus, puta si quis oret aliquanto distracte, valet indulgentia; quia tunc opus non desinit esse totaliter bonum.

238. *Possuntne indulgentiæ pro defunctis applicari?*

Maxime, modo sit a concedente expressum: quod patet ex praxi universæ Ecclesiæ, et ex allata prop. a Sixto IV. damnata, atque generali DD. consensu. Sed ex veriori sententia defunctis indulgen-

---

(60) Majorem, vel minorem indulgentiæ (sive partialis, sive plenariæ) partem quis percepit, prout est major vel minor charitatis fervor, quo injuncta opera implet, *Extravag. 1. de pœnit. et remission. D. Thom. suppl. 3. p. q. 25. a. 2. ad 3. et alii.* Immo secundum aliquos ad indulgentias lucrandas necesse est voluntas ac propositum satisfaciendi Deo quantum quis potest; ideoque pro majore, vel minore ejusmodi proposito lucrifit indulgentiæ pars.

Ex communiori et probabiliori sententia cui adhæret Ben. XIV. in constit. *Inter præteritos*, sufficit si ultimum opus injunctum fiat in gratia.

(✻) Si opus injunctum sit jejunium, satis est ut sit ecclesiasticum: si est aliqua eleemosina sine quantitatis determinatione, probabiliter sufficit exigua: at si in bulla exprimatur, dandam esse pro facultate personæ, tunc major danda est a divite, quam a paupere. Quæstio est, an lucretur indulgentiam, qui injunctam eleemosynam tradit alii erogandam, et iste illam non erogat.

Oratio imposita, aut Ecclesiæ visitatio sat non est tam brevis, ut videatur illusoria: et probabilius debet esse vocalis, nisi aliud exprimatur. Et generali regula dicendum, quod sic opus sit implendum, ut aliquo modo habeat pœnitentiæ rationem.

Probabilius indulgentiæ partem non lucratur, qui partem implet operis injuncti. At si parum desit, opus moraliter integrum censetur.

tiæ prosunt per modum suffragii, ut alia opera pia pro illis applicata, idest si Deo placuerit; neque pro illis infallibilis est indulgentiarum effectus, prout est pro vivis; cum nulla pro defunctis adsit divina promissio.

239. *Requiriturne status gratiæ, ut quis pro defunctis indulgentias lucretur?*

Aliqui negant; quia posito opere injuncto Superior defunctis applicat indulgentias. Alii vero affirmant, et forte probabilius; quia nemo potest alteri applicare indulgentiam, nisi prius eam fecerit suam.

240. *Utrum possit quis uno eodemque opere diversas lucrifacere indulgentias?*

Utique, modo idem opus sit æque injunctum pro utraque indulgentia, nec sit iterabile intra idem tempus, ut est jejunium, communio etc. nam revera impletur opus pro utraque indulgentia injunctum, neque alias potest iste opus implere. Aliter non potest e contrariis rationibus.

241. *Peccatum veniale impeditne indulgentiarum consecutionem?*

Certum est peccatum veniale non remissum quoad culpam non posse remitti quoad pœnam (k). Nec tamen istud impedit remissionem pœnæ pro aliis peccatis remissis debitæ; nam, sicuti manente veniali remittitur culpa aliorum peccatorum, ita et pœna (61).

242. *Num requiratur confessio pro indulgentia lucranda?*

Si non exprimitur in diplomate, non requiritur; sed sat est status gratiæ. Si vero exprimitur, et apponitur uti opus injunctum, sicuti est in Jubilæo, tunc requiritur; etiamsi habeantur tantum venialia; quia opus injunctum. Si vero exprimitur, sed non clare apponitur uti opus injunctum, quæstio est: at probabilius requiritur, uti constat ex decr. S. C. Indulg. a Clem. XIII. approbato die 19. Martii 1759. (62)

(k) *D. Thom. suppl. q. 27. a. 1. aliique.*

(61) Quare in casu indulgentia plenaria lucrifieri potest quoad omnem pœnam aliorum peccatorum, quorum culpa jam est remissa.

(62) Declaravit autem S. C. confessionem expleri posse in vigilia festivitatis. Et S. C. Cardinalium approbante eod. Clem. an. 1763. declaravit eos, qui laudabilem consuetudinem habent octava quaque die confitendi, non teneri ad sacramentalem con-

MODUS

EXAMINANDI CONSCIENTIAM, ATQUE PECCATA COGNOSCENDI.

IN tract. XI. num. 147. jam diximus Confessarium adstringi, quoad ejus moraliter fieri potest, pœnitentis dispositionem procurare, et integram peccatorum confessionem: hinc ei incumbit onus pœnitentem interrogandi, si rationem habeat putandi, eum ignorare, aut non exprimere aliquid necessarium. Quo facilius posset Confessarius id assequi, idcirco hæc accedit methodus, plures interrogationes complectens de peccatis, quæ frequentius solent admitti: qua magis minusve potest pœnitens incuriosus interrogari, prout ejus postulabit status. In duas dispescitur sectiones; quarum altera personas respicit cujuscunque generis; altera personas diversi generis, seu conditionis.

Advertat tamen Confessarius, actum humanum in agente esse virtuosum vel vitiosum secundum bonum apprehensum, in quod voluntas fertur, et non secundum objectum materiale actus, ut ait D. Thomas, Quodlib. 3. art. 27. idest prout est conscientia, qua committitur actus. Quare cognoscere conetur, quanam conscientia pœnitens peccatum admiserit; num adfuerit ignorantia, metus, coactio, motus gravis concupiscentiæ etc. Hinc jugiter præ oculis habeat quidquid dictum est in primo et secundo tractatu: sicque rectum poterit efformare judicium de malitia actionis. Insuper consuescat exquirere rationem peccati, dicendo pœnitenti: *Quare hoc fecisti?* Qua interrogatione magna in parte noverit malitiam peccati.

fessionem ad lucrandas indulgentias, quæ intra illud octiduum accidunt, modo non sint in peccato: et hoc valet, etsi aliquando ob aliquod impedimentum octava die confiteri non potuerint. Excipiendum est tamen Jubilæum, in quo omnino facienda est confessio tempore statuto.

Pro complemento de Altari privilegiato notetur. 1. Hoc privilegium in eo consistit, ut a Purgatorio liberetur anima, pro qua in illo altari Missa celebratur; sed per modum suffragii. 2. Ad hanc indulgentiam lucrandam valet Missa etiam de die currenti, quando non licet Missam de *Requiem* dicere: omnino vero dicenda est de *Requiem* (etiamsi in Ecclesia solemnitas celebretur) si dici potest: quod constat ex variis decr. et declar. Summorum PP. et S. C.

SECTIO I.

INTERROGATIONES CUJUSCUNQUE GENERIS PERSONAS RESPICIENTES.

PRimum Confessarius interroget de tempore, quo pœnitens non est confessus: hinc faciat eum accusare quoties non impleverit præceptum annuæ Confessionis, et Communionis etc. Interroget an præteritæ confessiones fuerint legitimæ in integritate, contritione, proposito etc. et ubi invenerit aliquam confessionem fuisse invalidam, repetenda est cum aliis subsequentibus mala fide factis, ut est dictum in tract. præsenti num. 83. Faciat pœnitentem accusare, si fuerint confessiones sacrilegæ, et communiones in eo statu peractæ. Item interroget, an impleverit sacramentales satisfactiones, restitutiones faciendas in fama, bonis fortunæ etc. Dein pœnitentem interroget juxta præcepta Decalogi modo sequenti, nisi alias videatur melius.

Circa primum præceptum. 1.° An sciat pœnitens rudimenta fidei, secundum dicta in VI. tract. num. 9. 13. 14. et nota subjecta; faciatque eum accusare, si culpa sua ista rudimenta ignoraverit. 2.° An elicuerit actus fidei, spei, charitatis tempore suo etc. vide dicta in eodem tract. num. 15. et sequent. 3.° Utrum aliquid cogitaverit vel pronunciaverit contra fidem, aliasque theologales virtutes, vel dubitaverit etc. 4.° Utrum egerit, aut docuerit res superstitiosas, aut ad hoc alios induxerit, vel adhibuerit etc. 5.° An emiserit, et impleverit vota.

Circa secundum præceptum quærat. 1.° Utrum pœnitens juraverit super mendacium, vel dictum iniquum, juxta dicta in tract. VII. cap. II. 2.° Utrum blasphemaverit.

Quoad tertium præceptum interroget 1.° An omiserit audire Sacrum diebus festis; vel periculo se exposuerit illud non audiendi, etsi postea audierit: an bene audierit etc. 2.° An istis diebus vacaverit operibus servilibus, cujus generis operibus, gravibus vel levibus, quantum temporis, quanam de causa etc.

Circum quartum præceptum 1.° Quærat a maritis, an aluerint familiam: ab uxoribus, an viris suis obedierint in iis, quæ

ad domus gubernationem, bonosque mores spectant; an eos ad blasphemias, aliaque peccata provocaverint: an conjuges conjugalem fidem servarint, conjugale debitum reddiderint, et quomodo etc. sicuti dicetur in cap. IV.XIII. tractatus. 2.° Quærat a filiis, utrum exhibuerint parentibus debitum amorem, reverentiam, obedientiam, et in necessitate subsidium, uti exponetur in II. append. num. 20. et sequent. ac subjectis notis. 3.° Petat a parentibus, utrum filios educaverint in rudimentis fidei, in timore Domini, verbo, exemplo, instructione, idonea correctione, aliisque modis, prout invenies in ead. append. num. 19. et nota (*): utrum proli consuluerint de alimentis, medicinis, dote, honesto statu etc. vide dicenda ibid. num. 11. et sequent. cum notis subjectis. Præsertim an curaverint, ut filii sacramenta frequentarent, malos socios, ac personas diversi sexus vitarent; an permiserint filiarum sponsos domum intrare etc. an filios in suo lecto tenuerint cum periculo suffocationis, vel scandalo; an permiserint simul dormire mares et feminas etc. an de excessibus illos corripuerint etc. 4.° Interroget heros, utrum correxerint servos, aliosque sibi subjectos; utrum curaverint, ut isti Missam audirent, paschale præceptum implerent; an illis debitam mercedem dederint etc.

Quoad quintum præceptum interroget pœnitentem 1.° Si scandalum dederit opere, verbo, scripto, vestitu, inductione, cooperatione, omissione, imaginibus impudicis, fescenninis cantionibus etc. Præsertim de hoc interrogentur parentes quoad filios. Interroget mulieres, si verbis, facetiis, risu, firmis obtutibus, nimia familiaritate aliisque modis viros ad pravas cogitationes provocarint: caupones, si dederint vinum ebriaturis, vel cibos vetitos diebus prohibitis. 2.° An delectationem habuerit, vel desiderium contra proximum; vel imprecationes protulerit, et utrum ex corde. 3.° An proximum gravibus affecerit injuriis; et an coram aliis: an remiserit injuriam offensori petenti etc. 4.° Utrum odium conceperit contra aliquem, vel animum vindictæ. 5.° Utrum infamaverit, vel diffamaverit proximum, an coram eo; an uti certum factum enarravit, vel uti ab aliis auditum; et quot personis factum dixit etc. utrum dissensiones contentionesve foverit. 6.° An se inebriaverit.

Quoad sextum et decimum præceptum expostulet 1.° De co-

gitationibus, utrum desideraverit, vel delectatus fuerit de inhonestis, vel propositum habuerit exequendi, media ad executionem adhibuerit etc. utrum concupierit puellas, vel nuptas, determinatas feminas, vel in genere, vel singulas, quæ sibi occurrebant, aut in mentem veniebant: quid mali intendebat cum illis agere etc. et utrum ad hæc omnia adverterit, et consenserit. 2.° De verbis obscœnis, quænam fuerint; coram quibus prolata; ex complacentia turpi, ex jactantia, vel ex joco aut ira; cum scandalo, vel absque. Num alios inhoneste loquentes cum delectatione audierit, vel non impedierit, correxerit, cum posset etc. Num turpia scripserit, vel cecinerit etc. 3.° De operibus vero sciscitetur, cum quibus rem habuerit; quomodo habuerit; quoties fuerit peccatum consummatum; num adfuerint vel præcesserint actus interni, sive externi a peccato consummato distincti et interrupti. Utrum intercesserint oscula, tactus, amplexus etc. et quanam mente. An se polluerit, vel impudice se tetigerit; et num in pollutione vel tactibus de aliquo cogitabat, se delectabat etc. An sodomiam, vel bestialitatem admiserit etc.

Circa septimum et nonum præceptum interroget, num pœnitens furatus fuerit, quid, quare, a quot, et quibus personis, quoties etc. Num damnum intulerit, vel concupierit, vel de eo delectatus fuerit etc. Utrum aliquem defraudaverit, debita solverit etc.

Circa octavum præceptum expostulet, num pœnitens falsum contra proximum asseruerit, cum damno, infamia etc. vel absque.

Quoad Ecclesiæ præcepta, præter annuam Confessionem, et Communionem, sicut est supra dictum, interroget, an jejunium diebus statis servaverit; et an se abstinuerit cibis vetitis dictis diebus, nec non diebus Veneris et Sabbati.

SECTIO II.

INTERROGATIONES VARII GENERIS SEU CONDITIONIS PERSONAS RESPICIENTES.

Si pœnitens est Sacerdos, vel Clericus, expostulet Confessarius, num recitaverit, et recte horas canonicas: num præceps Mis-

sam celebraverit: an impleverit onera Missarum, vel notabiliter distulerit: an vacaverit negotiationi propriæ, ludo prohibito etc. num necessario incumbat studio. Si est beneficiarius, interrogetur de fructibus beneficii suæ sustentationi superfluis. Si est Confessarius, interrogetur num bene tam sublimi fuerit functus officio; præsertim quoad integritatem Confessionis, quoad eorum absolutionem, qui erant recidivi, vel in occasione proxima etc. Si pœnitens est Parochus, ab eo petat Confessarius, utrum fecerit debitas correctiones, præsertim quum publicum aderat scandalum, et an ei obstiterit: num invigilaverit pro observatione præcepti paschalis: an prædicaverit festis diebus, populum docuerit rudimenta fidei, Sacramenta ministraverit, præcipue infirmis: utrum attenderit contracturis matrimonium pro requisitis necessariis etc. Num fecerit fides, præsertim Ordinandis, de moribus, sacramentorum frequentia etc. de quibus certior non erat: denique si Ecclesiæ, et pauperibus consuluerit, præcipue de bonis beneficii superfluis.

Religiosus interrogetur de votis suæ professionis, regulæ observantia, chori adsistentia etc. Si sit in officio, interrogetur de istius adimpletione: præsertim, si sit Superior, num impedierit novos abusus, qui, etsi leves, non excusant superiorem a culpa gravi, si grave eveniat damnum regulæ observantiæ. Vide dicta in tract. VI. num. 139. et nota subjecta.

Religiosa, præter exposita, interrogetur etiam, num aliquam habeat periculosam amicitiam, vicissitudinem etc. quæ esse possit scandalo, malo exemplo etc. Interrogetur de officio divino, conversationibus ad crates etc. Superiorissa præcipue interrogetur, utrum attenderit ad virorum ingressum et moram in monasterio, nec non ad conversationes ad crates.

Judex interrogetur de causarum expeditione, sententiarum justitia etc. an judicaverit ex passione, vel absque studio; an aliquid acceperit pro ferenda sententia etc.

Scriba, Cancellarius etc. interrogetur de modo, quo se gessit in recipiendis inquisitionibus; an depositiones, scripta etc. immutaverit, diminuerit etc.

Advocatus, num absque conveniente scientia munus exerceat; num susceperit patrocinium causæ injustæ, vide in II. tract. num.

33. utrum adhibuerit fraudes, dolos, falsos testes, documenta etc. num sine justa causa adversarium vexaverit, impediverit, perverterit, causam distulerit etc. utrum adversario secreta patefecerit cum clientis damno etc. an justum acceperit pretium; an susceperit patrocinium pauperum etc. Lege in II. append. num. 52. et sequent. ac subject. adnotation. Eadem fere petat Confessarius a Procuratore litis.

Tutor vel Curator interrogetur, utrum tanquam providus familias pater minoris curam habuerit, ejusque bona rite et fideliter administraverit, juxta dicendum cit. append. num. 32. et sequent.

Medicus, an sufficientem habeat scientiam, atque experientiam; an studio, consilio etc. vacarit in casibus difficilibus; num dederit medicamina dubia (de quo vide in II. tract. num. 28. 34. ac nota (12), vel ad procurandum abortum; num pro medicinis emendis miserit ad pharmacopolam non fidelem, non peritum etc. num absque justa causa veniam dederit ad carnes diebus vetitis, ad horas canonicas omittendas, aut Missam; an vacaverit pauperum curæ; an curaverit, ut infirmi confiterentur tempore idoneo, juxta dictum in num. 226. et nota subjecta.

Pharmacopola, an dederit medicamentum aliquod pro alio, vel vitiosum, vel dubium, vel majori pretio etc. an pharmacum vendiderit ad abortum procurandum, vel inducendam sterilitatem, aut venenum ad hominis perniciem etc.

Negotiator interrogetur de mercium qualitate, pondere, mensura, et pretio; de quo relege num. 106. et sequent. 132. et sequent. IX. tract.

Sartor et Sartrix, an laboraverit diebus festis; an jejunaverit diebus statutis; utrum pretium auxerit pannorum aliarumve rerum emptarum etc. vide dicta in cit. tract. num. 122. nota (52) vel pannorum resegmina retinuerit, extra casum justæ compensationis; num vestes inhonestas, aut femoralia tam arcta efformaverit, ut naturalem pudorem lædant; num sit ei occasio proxima peccandi mulieres vestire etc.

Proxeneta, seu Procurator ad aliquid emendum, vel vendendum, interrogetur, utrum adhibuerit moralem diligentiam pro negotio sibi commisso; utrum plus receperit a domino, aut minus ei dederit pretio soluto, vel habito, relege dicta in cit. num. et nota.

Tonsor, vel qui capillos componunt, num barbas totonderint, vel crines composuerint diebus festis, ubi ejusmodi non adest consuetudo, et sine necessitate; num mulierum comam composuerint etc. quod ordinario proxima occasio est turpis complacentiæ, desiderii etc. et ipsius, et mulierum; præsertim si ipse aut mulieres sint juvenes. Relege. not. (✠) num. 55. IV. tract.

Pueri et puellæ præcipue interrogari possunt, an sciant rudimenta fidei; an in præteritis confessionibus aliquod tacuerint peccatum; an juraverint super mendacium; an Missam omiserint diebus festis, vel blaterarint, dum eam audiebant; num parentibus obedierint, vel eos injuriis, imprecationibus etc. affecerint, coram ipsis vel non etc. num obscœna admiserint: sed in hoc prudenter et caute procedat Confessarius: initio eos interroget verbis genericis et ambiguis; et ex modo quo ipsi respondent, potest in quæsitis progredi: non exquirat tamen, an adfuerit seminis effusio, nisi certus sit de hujusmodi malitia. Interrogentur insuper, cum quibus dormiant, et utrum in lecto lusitaverint manibus: utrum aliquid sint furati, vel damni attulerint; alicui detraxerint; carnes ederint diebus prohibitis etc. Puellæ peculiariter interrogentur, num amori operam dederint, et an adfuerint pravæ cogitationes, verba, oscula, tactus etc. utrum munera receperint a personis suspectis, et præsertim ab uxoratis, Ecclesiasticis, Religiosis etc.

Si pœnitens sit mutus et surdus simul, curet Confessarius ab eis, qui pœnitentem frequentant, cognitionem capere de aliquo ejus vitio, et de modo tenendo, ut eum intelligat, et ab eo intelligatur; itaque in loco secreto curet aliquod capere signum de ejus peccatis, et dolore. Si autem sciat mutus scribere, probabilius scripto tenetur sua peccata confiteri, sicuti dictum est num. 62. (9✠) hujus tract.

A moribundo non debet Confessarius exigere omnem integritatem quoad numerum, et circumstantias peccatorum: aliquando sufficit etiam, si in genere moribundus sua peccata confiteatur, et in specie de aliqua etsi levi culpa. Vide exposita in istius tract. num. 80. et sequent.

TRACTATUS XII.

DE ORDINE.

Ut quorumdam postulationibus satis facerem, istum de Ordine, et in genere et in specie, integrum atque distinctum tractatum subtexui: in quo lucubrando una fidelia duos parietes dealbare sensi; breviter scilicet exhibere quæ ad singulos Ordines, eorumque officia et obligationes attinent; atque Ordinandis concinnatum suppeditare institutum, ex quo doctrinas pro quoque Ordine rite suscipiendo scitu necessarias attingere valeant.

Non pauca in hac pertractatione inveniuntur, quæ potius ad Ordinandorum instructionem, quam ad Confessariorum notitiam videntur aptata; vel quæ in aliis tractatibus sunt repetita. Ista possunt Præceptoris prudentia omitti; et sunt in quæsitis cruce ✠ signata.

CAPUT I.

DE ORDINE IN GENERE.

1. *Quid est Ordo, quid Ordinatio?*

Ordo est quædam spiritualis potestas ordinato tradita in ordine ad Eucharistiam, et ad alia religionis ministeria rite et ex officio obeunda. Ordinatio vero est ritus sacer, quo talis potestas traditur. At usu ordo et ordinatio pro eodem recipiuntur.

2. *Quot sunt Ordines?*

De fide est plures esse in Ecclesia Ordines: quod constat ex Scripturis, perpetua traditione, et Tridentini definitione (*a**). In

---

(a*) *Sess. 23. cap. 2. et 4. can. 2.* Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, et majores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur; anathema sit: *et can. 6.* Si quis dixerit in Eccle-

Ecclesia vero Latina septem sunt Ordines, nempe Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, et Ostiariatus; uti habetur ex Latinæ Ecclesiæ traditione, ex decreto Eugenii IV. ex Conciliis, et præsertim Trid. (b 1)

3. *Ordo, seu Ordinatio estne Sacramentum?*

Aliquem Ordinem esse verum et proprium novæ legis Sacramentum, dogma est fidei; sicuti docent Scripturæ, perpetua traditio, et Concilium Trid. (c * 2)

4. *An singuli ordines sint Sacramenta?*

Non convenit inter Theologos. Aliqui cum D. Thoma (d) universe affirmant singulos septem ordines esse Sacramenta. Alii opinantur solum Sacerdotium esse Sacramentum. Alii dicunt esse Sacramenta tantum tres ordines majores. Probabilior tamen sententia tenet Sacerdotium et Diaconatum esse Sacramenta, ut suo loco dicetur, non vero alios inferiores ordines; et præcipua ratio est, quod in collatione istorum ordinum nulla habetur forma, quæ exprimat productionem gratiæ, sed tantum fit mentio potestatis, quæ traditur.

5. *Quinam sunt Ordinis effectus?*

Præcipui sunt 1. Character, ut jam diximus in x. tract. n.° 25. ex quo surgit potestas sacramenta conficiendi et ministrandi: 2. Gratia, non solum generalis, idest augumentum gratiæ sanctificantis, sed etiam *sacramentalis*, idest propria et specialis hujus Sacramenti, illa nempe quæ actualia præbet auxilia ad ordinis munia recte et cum fructu exercenda (e ** 3). Hæc autem intelligantur de iis ordinibus, qui vere sunt sacramenta.

---

sia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et ministris: anathema sit.

(b) *Cit. cap.* 2.

(1) Etsi multi cum DD. Thom. et Bonav. asserant Episcopatum esse ipsius Presbyteratus extensionem, communius tamen affirmatur esse ordo a Presbyteratu distinctus.

(c*) *Cit. sess. cap.* 3. *et can.* 3. Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum .... anathema sit.

(2) Quænam sit cujusque Ordinis materia et forma, infra disseretur.

(d) *Suppl.* 3. *p. q.* 37. *a.* 2. *ad* 1. *et a.* 3.

(e**) *Trid. sess. cit. can.* 4. Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum.... aut per eam non imprimi characterem.... anathema sit.

(3) Hinc ordinatio iterari non potest.

6. *Quinam est Ordinis Minister?*

Solos Episcopos ordinarios esse Sacramenti Ordinis ministros fides docet; sicuti patet ex Scripturis (*f*), ex perpetua traditione, et est a Conc. Trid. declaratum (*g**). Commune est posse simplices Sacerdotes ex dispensatione Summi Pontificis ministros extraordinarios esse minorum ordinum, et Subdiaconatus etiam; ut habetur ex variis locis jur. can. Conciliis, et privilegiis a Summis Pontificibus concessis. At communiter hoc negatur de Presbyteratu, ut constat ex ipsa traditione, nec ullum de hoc antiquitatis extat exemplum. Et idem de Diaconatu est tenendum, quicquid aliqui sentiant.

7. *Quænam requiruntur in Ordinis Ministro, ut licite possit Ordinem conferre?*

1. Ut nulla sit censura ligatus: alias graviter peccat et irregularitatem incurrit (*4*). 2. Ut sit in gratia, si ordinem, qui est Sacramentum, ministrat.

8. *Quænam requiruntur, ut quis valide ordinetur?*

Ut sit mas, baptizatus, viator; et intentionem habeat saltem habitualem suscipiendi ordinem (*h5*).

9. *Quænam requiruntur ad ordines licite suscipiendos?*

Sequentia: 1. Vocatio divina (*i 6*): 2. Confirmatio ante primam tonsuram, sed probabilius sub levi (*k*): 3. Ætas legitima: 4. Titulus sustentationis, ut infra: 5. Ut debita serventur temporum interstitia: 6. Ut quis non ordinetur *per saltum*, scilicet sine anterioribus ordinibus: 7. Ut nullo sit canonico impedimento irretitus: 8. Scientia sufficiens: 9. Animus clericandi: 10. Exercitium ordi-

(*f*) *Act. cap.* 6. 6. *et cap.* 14. 22. 1. *Timot.* 3. *et* 5. *Tit.* 1. *etc.*

(*g**) *Sess. cit. can.* 7. Si quis dixerit, Episcopos .... non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem..., anathema sit.

(*4*) Relege dicta in v. tract. num. 42. et III.

(*h*) *Cap.* Nova 10. *de pœnit. et remission. et* Si quis 1. *de presbyt. non baptiz. D. Thom. suppl. q.* 39. *a.* 1. *aliique commun.*

(*5*) Ex veriori sententia infantes valide ordinantur. Item dicendum de amentibus.

(*i*) *Hebr.* 5. 4.

(*6*) Ex DD. divinæ vocationis signa sunt scientia conveniens, vitæ probitas, et recta intentio.

(*k*) *Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 4.

nis anterioris; at sub levi juxta aliquos; 11. Status gratiæ, si ordinem recipit, qui est Sacramentum.

CAPUT II.

DE PRIMA TONSURA.

10. Unde nomen Tonsuræ?

A tonsione capillorum, qua tonsuratus in Clerum assumitur.

11. Quid est Prima Tonsura?

Est ritus sacer ab Ecclesia institutus, quo laicus Christianus in Clerum adscribitur: quare fit Clericus, et beneficii ecclesiastici atque clericalium privilegiorum capax.

✠ *12. Cur dixisti* est ritus sacer ab Ecclesia institutus?

Quia, quidquid aliqui dicant, tonsura non est stricte ordo; nulla enim per tonsuram tribuitur potestas ad aliquod ministerium: sed est tantum dispositio ad ordines; quoniam tonsuratus fit capax ordinum suscipiendorum (*l* *). Nec est a Christo, sed ab Ecclesia instituta.

✠ *13. Estne antiquus ritus tonsuræ in clericis?*

Aliqui illum referunt ad S. Petrum. At rectius alii posterioribus sæculis illius institutionem tribuunt; cum nullum tonsuræ vestigium prioribus sæculis appareat (*m*).

✠ *14. Unde nomen* Cleri *et* Clerici? *et quid hoc nomine innuitur?*

Verbum *Clerus* a Græco κληρος, quod *sortem* significat, factum est (*n*). Hujus nominis ratio a Levitis est ducenda, quibus in divisione terræ promissæ specialis pars non fuit tributa, quippe quibus ipse Deus sors et pars esse voluit (*o*). Quare dicuntur *Clerici*, quia in sortem Domini sunt vocati; vel quia Dominus est sors eorum.

(*l*) *Ex Trid. sess. 23. cap. 2. et alibi. D. Thom. suppl. q. 40. a. 2. aliiq. communiter.*

(*) Si quando in jure canon. prima tonsura vocatur *Ordo clericalis*, latiori significatione est hoc intelligendum.

(*m*) *Morin. de sacr. ordinat. par. 3. exerc. 15. cap. 3.*

(*n*) *Can.* Cleros 1. *distinct. 21. et cap.* Cum secundum *16. de præbend. et dignit.*

(*o*) *Num. 18. 20.*

✠ 15. *Quid denotat capillorum tonsio ?*

Abdicationem rerum terrenarum atque curarum sæcularium, quibus renuntiare debent Clerici, ut sic liberius Deo ac rebus divinis vacare possint.

16. *Quænam est tonsuræ forma ?*

Olim totum caput rasum ferebatur, relicto tantum brevium capillorum circulo in coronæ forma, sive ad denotandam spineam coronam Christi capiti impositam, sive ad significandam regiam ejus dignitatem, qui Deo servit. Labentibus sæculis minor facta est hujusmodi abrasio (7).

17. *Quid dicendum de Clericis illis, qui crines longos et artificiose compositos gerunt ?*

Immemores sunt isti suæ professionis, et strictius a Deo judicabuntur.

18. *Licetne clerico ferre comam adscititiam, vulgo Parrucca?*

Minime, nisi ex justa causa, et dispensatione obtenta (*p*).

✠ 19. *Profer ritum, quo confertur prima tonsura.*

Tonsurandus habitu clericali indutus se sistit coram Episcopo, in sinistra gerens superpelliceum, et cereum in dextera. Episcopus post orationem incidit forfice capillos ejus in modum crucis dicens una cum tonsurando *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi* (*q*). Post alias preces Episcopus ei imponit superpelliceum sic ajens: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Concludit aliis precibus, et allocutione ad tonsuratos.

✠ 20. *Quid est superpelliceum, quod post tonsuram capillorum tonsurato imponitur ?*

Est linea vestis albi coloris, quæ italice dicitur *cotta*, a clericis in sacris functionibus adhibenda. Vocatur superpelliceum; quia imponitur vulgaribus clericorum vestibus, quæ alicubi olim erant pelliceæ (*r*).

(7) Quæstio est, utrum graviter an leviter peccent clerici coronam non deferentes: ex probabiliori sententia raro est mortale, secluso contemtu. Sed probabilius graviter peccant beneficiarii, vel in sacris constituti, si comam abrasam non ferant.

(*p*) *Vide Bened. XIV. de Syn. lib. 11. c. 9. n. 4.*

(*q*) *Psal. 15. 5.* (*r*) *Durandus in Rationali lib. 3. c. 1.*

✠ 21. *Quid denotant ea verba, quibus utitur Episcopus superpelliceum imponendo*, Induat te Dominus, novum hominem, qui etc?

Denotant, quod clericus, deposito sæculari habitu, veterem hominem cum actis et concupiscentiis sæculi exuere debeat, ut suscepto habitu clericali induat hominem novum, qui secundum Deum creatus est justus et sanctus; et novum Adam, idest Christum sequatur, ejusque exempla in semetipso referat, atque animi morumque candorem, qui superpelliceo albo designatur, excolat, ac diligentissime custodiat.

22. *Quænam est vestis clericorum vulgaris ad quoditianum usum?*

Est vestis talaris nigri coloris, quæ ad talos usque demittitur. Licebit tamen brevioribus uti, si sint ab Episcopo permissæ.

23. *Quænam qualitates exiguntur in tonsurandis?*

Præter divinam vocationem requiritur, ut susceperint Sacramentum Confirmationis; ut sciant rudimenta fidei, atque legere et scribere; ut rectam intentionem habeant fidelem cultum Deo præstandi (*s*).

24. *Num necessario ad tonsuram prærequiritur character Confirmationis?*

Prærequiritur non necessitate absoluta, sed necessitate præcepti: quare etsi valeat tonsuræ collatio facta non confirmato, est tamen illicita (*8*).

25. *Quænam ætas habenda est pro prima tonsura?*

Ex Tridentino (*t*) ea saltem requiritur ætas, qua tonsurandus sciat rudimenta fidei; nec non legere et scribere. Nec facile sunt pueri admittendi, qui tantæ electioni minus sunt apti.

26. *Peccatne qui tonsuram accipit sine animo perseverandi in statu ecclesiastico.*

Peccat quidem; imprudenter enim mentitur, cum in recipienda tonsura protestatur se divino servitio mancipari.

27. *Quinam sunt effectus tonsuræ, qua quis in Clerum adscribitur?*

Tonsuratus fit capax ordinum et beneficiorum; atque *Canonis* et *Fori* privilegiis fruitur.

(*s*) *Trid. sess.* 23. *de reformat. cap.* 4.

(*8*) Vide dicta num. 9.

(*t*) *Loc. cit.*

28. Quodnam est privilegium Canonis?

Est quod sub pœna excommunicationis reservatæ prohibetur violentas manus in clericum injicere. Dicitur privilegium *Canonis*, quoniam extat expressum. in canone *Si quis suadente diabolo* 6. caus. 17. q. 4. (9)

29. Quodnam est fori privilegium?

Est immunitas a foro sæculari (10).

30. Peccatne qui tonsuram peteret causa fruendi privilegiis clericalibus ?

Utique peccat: quodque peccatum quamdam involvit simoniæ speciem; cum quis vellet statum ecclesiasticum ad obtinenda terrena.

31. Adsuntne peculiaria tonsurati officia ?

Cum tonsura non sit ordo, nullum per se fert proprium ecclesiasticum officium. Attamen cum tonsuratus sit clericus, generales clericorum obligationes observare tenetur; idest ita proficere in sanctitate et scientia, ut dignus fiat qui possit ad ordines promoveri.

CAPUT III.

DE ORDINIBUS MINORIBUS.

32. *Quot, et quinam sunt ordines minores ?*

In Ecclesia Latina nunc temporis sunt quatuor, Ostiariatus nempe, Lectoratus, Exorcistatus, et Acolythatus.

33. Quisnam instituit ordines minores ?

Qui docent singulos istos ordines esse Sacramenta, simul docent esse institutionis divinæ. Qui vero hoc negant, putant ab Ecclesia fuisse institutos.

✠ *34. Quinam est Ecclesiæ spiritus quoad hujusmodi ordines?*

Ut ministeria istorum ordinum per clericos in iisdem ordinibus constitutos, quantum fieri potest, sancte ac religiose exerceantur (*u*).

(9) Adi tract. v. part. II. cap. I. sect. III.

(10) Hoc non amplius viget in nostro regno.

(*u*) *Trid. sess. 23. de reform. cap. 17.*

35. *Quænam conditiones requiruntur in eo, qui minores ordines est suscepturus?*

Præter illas, quæ exiguntur in tonsura, requiritur ut saltem linguam latinam intelligat; spem afferat majoris scientiæ, qua idoneus futurus credatur majoribus ordinibus suo tempore suscipiendis; ut exercuerit ordinem præcedentem; et meritum habeat bonæ vitæ (*x*).

✠ 36. *Quomodo accedere debent promovendi ad ordines minores?*

Debent accedere habitu talari induti cum superpelliceo, tonsuram deferentes, et cereum offerendum in dextera tenentes.

37. *Qua animi dispositione debent accedere?*

Magna animi pietate, recta intentione, et statu gratiæ, cum sit sumenda sacra Eucharistia.

SECTIO I.

DE OSTIARIATU.

38. *Quid est Ostiariatus?*

Est primus ordo inter minores, quo per traditionem clavium Ecclesiæ, et adjuncta verba potestas traditur aperiendi et claudendi Ecclesiæ januas, custodiendi res Ecclesiæ, atque vindicandi reverentiam domui Dei debitam.

39. *Quænam est materia ostiariatus?*

Duplex est: alia remota, et sunt claves Ecclesiæ: alia proxima, et est clavium traditio.

40. *Quænam est forma?*

Sunt verba, quibus utitur Episcopus in clavium traditione: *Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.*

41. *Istæ claves suntne ab ordinando tangendæ?*

Maxime, et quidem tactu physico, ex tutiori sententia (*y*).

✠ 42. *Quo ritu confertur hic ordo?*

Ordinandi cum sint coram Episcopo genuflexi, Episcopus eos

(*x*) *Ibid. cap. 11.* (*y*) *S. Thom. 3. p. suppl. q. 34. a. 5. ad 3.*

admonet de futuro officio : dein formam pronuntians eis tradit Ecclesiæ claves, quas singuli tangunt manu dextera: tum ab Archidiacono ducuntur ad ostium Ecclesiæ, quod ipsi aperiunt, et claudunt : postea pulsant campanam , seu tintinnabulum : postremo reducuntur ad Episcopum , qui orans illos benedicit.

43. *Quænam sunt officia Ostiarii ?*

Sunt 1. Ecclesiæ ostia suo tempore aperire et claudere: 2. arcere ab Ecclesia indignos, nimirum infideles, hæreticos, excommunicatos vitandos etc. 3. pulsare campanas, et populum convocare: 4. custodire vasa sacra, aliasque Ecclesiæ supellectiles: 5. denique aperire librum ei, qui prædicat.

44. *Quid agendum ab Ostiario , ut sua munera adimpleat?*

Debet pro Ecclesiæ decore et munditie omne studium et zelum præseferre, et debita prudentia ea omnia peragere, quæ ei opportunitas offeret.

45. *Quid dicendum de iis clericis, quos pudet in Ecclesia minora officia obire?*

Isti satis ostendunt spiritum ecclesiasticum se non habere.

SECTIO II.

DE LECTORATU.

46. QUid est Lectoratus ?

Est secundus inter minores ordines , quo per traditionem libri sacrarum lectionum sub præscripta forma, clerico traditur potestas legendi in Ecclesia libros sacros , et instruendi fideles.

47. *Quænam est hujus ordinis materia ?*

Materia remota est liber sacrarum lectionum: proxima vero est ipsius libri traditio.

48. *Quænam est forma ?*

Sunt verba ab Episcopo prolata in libri traditione : *Accipe, et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter officium tuum impleveris , partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

✻ 49. *Quo ritu confertur hic ordo?*

Initiandos genuflexos Episcopus de eorum officiis recte præstandis admonet: dein sub laudata forma eis librum porrigit ab ipsis tangendum: postea pro ipsis orat, divinamque benedictionem implorat.

50. *Quænam sunt Lectoris officia?*

Sunt sequentia: 1. legere clara et distincta voce sacras lectiones, prophetias etc. 2. fideles rudiores, et catechumenos christianæ religionis rudimenta docere: 3. divinas laudes canere; atque psalmodiæ præesse: 4. panem, novosque fructus benedicere.

SECTIO III.

DE EXORCISTATU.

51. QUid est Exorcistatus?

Est tertius inter minores ordines, quo per traditionem libri exorcismorum, sub præscripta forma, clerico traditur potestas dæmones adjurandi, atque expellendi e corporibus energumenorum.

52. *Quænam est materia hujus ordinis?*

Materia remota est liber continens exorcismos, vel ejus loco Pontificale, aut Missale: proxima vero est hujus libri traditio.

53. *Quænam est forma?*

Sunt verba ab Episcopo in porrectione libri prolata: *Accipe, et commenda memoriæ, et habe potestatem manus imponendi super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.*

54. *Quinam sunt energumeni, et quinam catechumeni?*

Energumeni dicuntur, qui a dæmone obsidentur et vexantur. Catechumeni vero sunt, qui baptismum quærentes in religione christiana erudiuntur.

55. *Quo ritu confertur hic ordo?*

Primo Episcopus initiandos ante se genuflexos de eorum officio monet: deinde eis librum tangendum porrigit, formam pronuntians: postea omnes excitat ad orandum pro ordinatis: demum pro ipsis orat, divinamque benedictionem implorat.

56. Quænam sunt Exorcistæ officia?

Præcipuum officium est dæmones adjurare, eosque e corporibus obsessorum ejicere: item juxta aliquos parare aquam, salem, et cetera necessaria ad benedictionem aquæ, qua utitur Ecclesia in exorcismis: demum exorcizare catechumenos.

57. Potestne Exorcista post ordinationem ex se dæmones adjurare ac exorcizare?

Non potest (ne Sacerdos quidem), nisi ex licentia Episcopi.

58. Quænam regulæ sunt in exorcizando servandæ?

Præcipue quæ sunt in Rituali Romano præscriptæ (11).

59. Qua vitæ integritate fulgere debent, qui ad hunc ordinem sunt promoti?

Ea vitæ integritate, ut multimodam dæmonum nequitiam superantes vitiis imperent; ne illis succumbant, quos ab aliis effugant; neque in eorum moribus aliquid sui juris inimicus valeat vindicare: sic enim Episcopus eos monet ex Pontificalis præscripto.

SECTIO IV.

DE ACOLYTHATU.

60. *Quid Acolythatus?*

Est quartus ordo inter minores, quo per traditionem ceroferarii cum cereo extincto, et urceolorum vacuorum potestas traditur accendendi luminaria Ecclesiæ, ferendi candelabrum in sacris functionibus, et parandi aquam et vinum pro sacrificio Missæ.

✠ *61. Unde Acolythi nomen, et quid significat?*

Hoc nomen a Græco verbo ἀκολουθέω, sequor, ductum est; latine pedissequum significat; quia Acolythus Subdiaconum sequi debet, eique inservire in sacris functionibus, sicut Subdiaconus sequitur Diaconum, et Diaconus Sacerdotem.

62. Quænam est Acolythatus materia?

Materia remota est candelabrum cum cereo extincto, et urceoli vacui; proxima vero est horum traditio (12).

---

(11) Relege dicta in VII. tract. num. 10. (2).

(12) Ex communiori sententia cum D. Thom. contra alios asserentes candelabrum, aut urceolos tantum esse materiam istius ordinis.

✠ 63. *Cur cereus traditur extinctus, et urceoli vacui?*

Ad significandum Acolythi esse munus accendendi cereos in sacris peragendis, et parandi in urceolis vinum et aquam pro sacrificio Missæ.

64. *Quænam est hujus ordinis forma?*

Sicuti materia est duplex, sic et forma. In traditione ceroferarii forma est: *Accipe ceroferarium cum cereo; et scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini.* In traditione urceolorum forma est: *Accipe urceolos ad suggerendum vinum et aquam ad Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini.*

65. *Quænam sunt Acolythi officia?*

Sunt 1. accendere luminaria, eaque deferre in divinis officiis: 2. parare vinum et aquam ad Eucharistiam, eaque Subdiacono ministrare: 3. sequi Subdiaconum et Diaconum in ministerio altaris, eisque inservire: 4. ignem et thus parare, thuribulumque deferre: 5. privatis Missis inservire.

66. *Quid si Acolythus nesciat sacras cæremonias suo muneri competentes?*

Debet illas diligentissime addiscere, ut qua decet cura suo munere fungatur.

67. *Potestne Acolythus vasa sacra tangere, cum in eis non est sanctissima Eucharistia?*

Potest adhibita mappula in defectu Subdiaconi.

68. *Potestne Acolythus aut alius inferioris ordinis clericus, deficiente Subdiacono, in Missa solemni Subdiaconi vices supplere?*

Utique potest data necessitate, sed absque manipulo: quod constat ex decreto Congreg. Sacrorum Rituum edito die 5. Julii 1698.

✠ 69. *Quare sine manipulo?*

Quia manipulum est insigne proprium ordinis sacri.

70. *Quid debet Acolythus observare, ut suo muneri satisfaciat?*

Debet ea servare, quæ Episcopus in ejus ordinatione præmonuit; id est, esse solicitus in omni justitia, bonitate, et veritate, ut ita possit proximum illuminare; et per castam vitam ac bona opera tanquam sacrificium Deo offerri.

CAPUT IV.

DE SUBDIACONATU.

SECTIO I.

DE HUJUS ORDINIS ESSENTIA.

71. *Quid est Subdiaconatus ?*

Est primus ordo inter majores et sacros, quo per istrumentorum traditionem, sub certa verborum forma, traditur potestas præparandi et deferendi calicem cum patena, canendi epistolam, et inserviendi Diacono in sollemni sacrificio Missæ.

✠ 72. *Fuitne semper hic ordo inter majores et sacros ?*

Minimè, sed diutius inter minores recensitus fuit, sicut nunc etiam est apud Græcos (*13*).

✠ 73. *Quandonam Subdiaconatus evectus fuit ad ordinem majorem et sacrum.*

Alii volunt tempore Urbani II. alii tempore Innocentii III. sed probabilius dicendum id accidisse medio tempore inter Urbanum II. et Innocentium III.

74. *Quænam est hujusce ordinis materia ?*

Materia remota est calix vacuus cum patena, et liber epistolarum: proxima vero est ejusdem calicis et libri traditio (*14* *).

75. *Num tam calix cum patena, quam liber epistolarum sit materia necessaria hujus ordinis, necessario ab Episcopo tradenda, et æque necessario ab ordinando tangenda?*

De hoc non convenit inter doctos. Alii cum D. Thoma dicunt solum calicem cum patena esse materiam necessariam. Alii docent solum librum epistolarum esse totam et adæquatam materiam. Alii

---

(*13*) Vide Bened. XIV. de Synodo lib. 8. c. 9. n. 9.

(*14*) Calix et patena debent esse consecrata ex necessitate præcepti, et probabilius etiam ex necessitate ordinis, id est ad valorem Ordinis.

(*) Apud Græcos materia Subdiaconatus est manuum impositio.

utramque requirunt: quam quidem sententiam saltem in praxi sequi debemus.

76. *Quænam est forma Subdiaconatus?*

Sunt Episcopi verba in traditione materiæ. Cum tradit calicem cum patena, dicit: *Videte cujusmodi ministerium vobis traditur: ideo vos admoneo ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Cum autem tradit librum epistolarum sic ait: *Accipe librum epistolarum, et habe potestatem legendi eas in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis.*

✠ 77. *Quinam est ritus ordinationis Subdiaconi?*

Est sequens: Ordinandi induti amictu, (non tamen super caput) alba et cingulo, manipulum et tunicellam albi coloris in sinistra habentes, et candelam in dextera, stant coram Episcopo, qui eos monet de onere castitatis suscipiendo, et perpetuo famulatu in Ecclesiæ ministerio. Dein accedunt, et se prosternunt, dum canuntur litaniæ Sanctorum. Postea eos admonet Episcopus de ipsorum officiis rite peragendis, eisque sub præscripta forma porrigit calicem vacuum cum patena dextera tangendum: et Archidiaconus tradit eis urceolos cum vino et aqua, nec non bacile cum linteolo. Insuper post aliquas preces Episcopus ponit amictum super caput singulorum, manipulum in sinistro brachio, imponitque tunicellam. Demum sub laudata forma tradit eis librum Epistolarum dextera tangendum. Unus autem ex Subdiaconis ordinatis suo tempore epistolam canit.

78. *Quænam sunt Subdiaconi officia?*

Sunt 1. deferre calicem et patenam, atque Diacono inservire in ministerio altaris, tenendo librum dum canitur Evangelium, ei præbendo calicem et patenam etc. 2. Epistolam in Missa sollemniter cantare: 3. aquam parare ad ministerium altaris, et infundere in calicem, et in manus Sacerdotis abluendas: 4. oblationes populi excipere, et de iis panem et vinum pro Sacrificio præsentare: 5. crucem deferre in processionibus: 6. pallas, corporalia, et purificatoria abluere.

79. *Quænam prærequiruntur in eo, qui ordinandus est Subdiaconus?*

1. Tonsura et quatuor minores ordines; ne per saltum promotus suspensionem (vel irregularitatem secundum alios) incurrat. 2.

Interstitium anni ab ultimo ordine minori. 3. Ætas viginti duorum annorum saltem inceptorum; alias remanet suspensus (aut irregularis juxta alios). 4. Sanctitas vitæ. 5. Ut sit litteris, et iis, quæ ad ordinem exercendum pertinent, instructus. 6. Titulus sustentationis. 7. Divina vocatio. 8. Approbatio Episcopi. 9. Status gratiæ, cum præter ordinem sacrum Eucharistiam sumere debeat (z 15).

80. Peracta ordinatione, quid Subdiacono faciendum imponitur?

Ut recitet nocturnum feriale illius diei; quod est recitandum præter officium ejusdem diei. Idem imponitur Diaconis (16).

SECTIO II.

DE PECULIARIBUS SUBDIACONI OBLIGATIONIBUS.

81. Quænam sunt peculiares Subdiaconi obligationes?

Præcipuæ sunt quatuor: castitatis perpetuo servandæ; recitandi quotidie horas canonicas; habendi titulum sustentationis; et deferendi habitum et tonsuram (a).

§. I. *De Obligatione Castitatis.*

82. Quænam est obligatio continentiæ, quæ Subdiaconis imponitur?

Est obligatio servandi perpetuam et omnimodam castitatem, se a carnis voluptatibus abstinendo, non solum generice illicitis, sed etiam ab illis, quæ sunt conjugatis permissæ.

83. Unde originem ducit hujusmodi obligatio, a juro divino, vel a jure ecclesiastico?

A jure ecclesiastico, quidquid aliqui dicant; tum quia non est semper et ubique servata; tum quia in ea dispensat aliquando Summus Pontifex (b 17).

(z) *Ex variis locis, præsertim Trid. sess. cit.*

(15) Utrum graviter vel leviter peccet, qui sacrum ordinem recipit in statu lethali dictum est in num. 9.

(16) Quod nocturnum non tenentur eadem die recitare, sed suo lubitu.

(a) *Ex var. jur. loc.*

(b) *Ita communiter ex Trid. sess. 24. can. 9.*

(17) Utrum autem ex voto, vel ex præcepto Ecclesiæ sit talis obligatio, dicetur in sequenti tract. num. 112. (40).

✠ 84. *Estne vetus hujus obligationis institutio?*

In tribus ordinibus Diaconatus, Presbyteratus, et Episcopatus prioribus sæculis Apostolorum aliorumque virorum sanctorum suasione et exemplo fuit inducta. Postea Græci hanc obligationem in Diaconatu et Presbyteratu aliquando remiserunt. Ecclesia vero Latina, præsertim Romana hujus disciplinæ tenacissima et vindex fuit; quare multa edidit decreta et canones, quibus tandem effectum est, ut nulla sint matrimonia a sacris ministris intentata: quod sane in variis Conciliis, et novissime Trid. sess. 24. can. 9. fuit confirmatum.

✠ 85. *Quid de minoribus ordinibus et Subdiaconatu dicendum?*

Nunc temporis licet clericis in minoribus uxorem ducere; sed debent a clero discedere, et clericalibus privilegiis carere (18). Item erat de Subdiaconatu, quando inter minores ordines recensebatur: at nunc Subdiaconi, æque ac Diaconi et Presbyteri, ad cælibatum adstringuntur, et forte ab eo tempore, quo inter majores ordines fuit Subdiaconatus evectus (c).

✠ 86. *Cur Ecclesia sacris ordinibus hanc adnexuit obligationem?*

Quia sacri ministri orationi, studio, divinisque officiis vacare debent; quod sane uxoris familiæque cura plurimum impedit.

87. *Num hæc continentiæ obligatio habeat rationem voti?*

Utique habet rationem voti, et solemnis quidem; nam, æque ac regularis professio, impedimentum affert dirimens matrimonium.

88. *Quid si quis ignoraret huic ordini adnexam castitatis obligationem?*

Si iste velit absolute ordinem, probabilius (19) tenetur castitatem servare; nam ordinem volens intelligitur implicite quoque velle obligationem ordini adnexam.

89. *Quid dicendum de illo, qui noluisset ordinari, si hanc scivisset adnexam obligationem?*

Juxta aliquos tenetur iste castitatem servare, saltem ex præ-

---

(18) Juxta aliquos licet Episcopo in necessitate conjugatum ad minores ordines promovere, dummodo unica et virgo esset istius uxor.

(c) *Can.* Nullum *1. dist. 28. Trid. loc. cit. et alibi.*

(19) Dixi *probabilius*; nam juxta plurimos iste non tenetur ad castitatem, neque ex voto, neque ex præcepto Ecclesiæ, si ignorantia esset omnino invincibilis.

cepto Ecclesiæ; quoniam, cum non adsit actu hujusmodi voluntas, valida est ordinatio, et adnexam secum fert hanc obligationem.

90. Quid si quis Subdiaconatum recipiens per malitiam expresse nollet se ad castitatem obligare?

Iste præter culpam gravem, quam committit sic resistens Ecclesiæ ordinationi, probabilius tenetur ad castitatem, saltem ex præcepto Ecclesiæ, quæ in Subdiaconatu hanc obligationem imposuit.

91. Si quis metu gravi incusso suscipiat Subdiaconatum, obligaturne ad castitatem servandam?

Si iste non habet animum suscipiendi ordinem, non tenetur ad castitatem: ordinatio enim est nulla, et nullum est votum in invalida ordinatione. Si vero animum habet recipiendi ordinem, juxta aliquos ad castitatem tenetur; nam qui vult statum aliquem, tenetur ad ejus obligationes: potest tamen dispensationem obtinere: juxta alios probabilius non tenetur; quia non valet votum per metum gravem emissum.

92. Quid si clericus in sacris tentaret matrimonium contrahere?

Iste peccaret contra obligationem servandæ castitatis: peccaret etiam contra Sacramentum matrimonii, quod esset irritum, et ipso facto incideret in excommunicationem nemini reservatam (*d*), et irregularitatem consummando matrimonium (*e*).

93. Licetne aliquando conjugatum, vivente uxore ad subdiaconatum aliosque sacros ordines promoveri?

Licet vel ex licentia uxoris, quæ consenserit separari in perpetuum a thoro, vel in casu divortii perpetui (20).

94. Si quis post matrimonium ordinetur, dissolviturne matrimonium?

Nequaquam. At iste privatur jure petendi: et si absque uxoris venia, et extra casum divortii suscipiat ordinem, irregularitatem incurrit, quæ durat etiam post mortem uxoris (*f*).

95. Qui in Sacris constitutus turpe admittit, præter peccatum con-

---

(*d*) *Clement.* Eos qui *un. de consanguinit. et affinit.*

(*e*) *Cap.* Si qui Clericorum *1. de cleric. conjugat. et alibi.*

(20) Lege dicenda in tract. XIII. a num 115. ad 119. et num. 297. ac 298.

(*f*) *Extravag.* Antiquæ *un. de voto & voti redempt.*

tra castitatem, num ratione ordinis sacri aliud committat speciale peccatum?

Peccat etiam contra religionem ob violationem suæ personæ Deo sacræ.

96. *Quænam cautiones sunt a clerico adhibendæ, ut illæsam servet castitatem Deo debitam?*

Debet ipse 1. quam maxima diligentia objecta vitare puritati infensa: 2. mulierum fugere, quantum potest, familiaritatem et consuetudinem: 3. corporis sensus, præsertim oculos cohibere: 4. vitare spectacula, otium, crapulam, ac ebrietatem: 5. studere orationi lectioni, mortificationi, humilitati, aliisque virtutibus, quibus castimonia fovetur.

§. II. *De obligatione recitandi Horas Canonicas.*

97. *Quid sunt Horæ Canonicæ?*

Sunt preces vocales Ecclesiæ auctoritate constitutæ, certis horis recitandæ nomine ipsius Ecclesiæ, ad orandum et laudandum Deum.

✠ 98. *Explica hujus institutionis consilium.*

Si ex Christi oraculo (g) fideles omnes *oportet semper orare, et non deficere*, eo magis ad hoc obligantur clerici. Cum vero ob humanæ naturæ infirmitatem, vitæque curas id semper et continuo præstari nequeat hujusmodi horæ fuerunt præscriptæ; ut hac ratione per integrum diei cursum videatur orare.

✠ 99. *Cur dicuntur* canonicæ?

Quia ordinatæ juxta canonem, idest regulam Ecclesiæ sunt persolvendæ.

✠ 100. *Cur vocantur* Officium divinum?

Officium significat munus aliquod obeundum: horæ canonicæ vocantur *officium divinum*, quoniam munus sunt orandi et laudandi Deum.

✠ 101. *Quare officium divinum appellatur etiam* Breviarium?

Sic appellari creditur, vel quia hujusmodi officium, olim pro-

---

(g) *Luc. 18. 1.*

lixius, ineunte seculo XIII. breviatum fuit; vel quia lectiones breviores ex Scripturis et Patribus excerptas uno libro complectitur in commodum clericorum.

✠ *102. Quænam est divini officii divisio?*

Dividitur in nocturnum, et diurnum (*h*): nocturnum complectitur Matutinum, et Laudes; diurnum verò Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, et Completorium.

✠ *103. Mos orandi istis diversis horis habetne antiquam originem?*

Immo antiquissimam, saltem quoad substantiam, quod constat ex Scriptura, et ecclesiastica historia (*i*).

104. Quinam obligantur ad recitandas quotidie horas canonicas?

Omnes clerici, qui vel sunt in sacris constituti, vel beneficium ecclesiasticum obtinent. Item, quidquid aliqui dicant, obligantur omnes religiosi professi utriusque sexus, ad chorum destinati, juxta suas regulas et consuetudines (*k* 21).

105. Qui Subdiaconatum recepit, teneturne ipso die ordinationis totum ejusdem diei officium recitare?

Minime, sed ex veriori sententia inchoare debet a parte respondente horæ, in qua fuit ordinatus; quoniam hora ordinis suscepti incipit obligatio.

106. Quid si ante ordinationem recitasset officium, an suæ obligationi satisfecerit?

Ex probabiliori ratione minime satisfecit; tum quia nequit obligatio satisfieri, antequam contrahatur; tum quia qui non adhuc est Subdiaconus, nequit nomine Ecclesiæ officium recitare, prout exigit ipsa Ecclesia.

(*h*) *Ex cap.* Dolentes *9. de celebrat. missar. etc. Clement.* Gravi *1. eod.*

(*i*) *Actor. c. 2. v. 42. c. 3. v. 1. c. 10. v. 9. et c. 16. v. 25. Ephes. 5. 19. etc. lib. 8. Constit. Apost. can. 34. etc.*

(*k*) *Ex var. jur. loc. et universali pervetusta consuetudine.*

(21) Qui obligantur ad chorum satisfaciunt assistentiæ chori, etiam quoad distributiones lucrandas, si, dum alii cantant, ipsi parant aut transferunt libros, perquirunt psalmos, pulsant organa, aut campanas, vel alia choro necessaria peragunt: immo juxta aliquos non tenentur supplere, si non attenderint ad ea, quæ interim sunt recitata; præsertim si modica sit materia. Idem est, si quis tussit vel excreat, dum alii recitant.

107. Subdiaconus censuratus, degradatus etc. remanetne ab officii recitatione liber?

Nequaquam, alias commodum referret ex propria iniquitate. Non potest vero excommunicatus, sub veniali tamen, dicere *Dominus vobiscum*; sed ejus loco dicere debet *Domine exaudi orationem meam.*

108. Qui in Sacris constitutus ecclesiasticum possidet beneficium, num duplici lege obligetur ad officii recitationem?

Maxime, ex religione nempe ratione ordinis sacri, et juxta aliquos ex justitia ratione beneficii: quare officium omittens dupliciter peccat, et contra religionem, et contra justitiam; atque pro rata omissionis restituere adstringitur fructus beneficii vel pensionis ecclesiasticæ, qui sunt causis piis applicandi. Item restituere debet beneficiarius, qui non est in sacris (*l* 22).

109. Quænam fructuum portio restituenda est a beneficiario, qui officium non recitavit?

Ex bulla S. Pii V. *Ex proximo* obligatur restituere omnes fructus illi diei respondentes, si totum omisit officium; dimidiam partem, si matutinum tantum, vel ceteras omnes horas omisit; sextam vero partem, si horam aliquam omisit.

110. An hæc restitutio facienda sit ante judicis sententiam?

Maxime; sicuti constat ex cit. Conc. Lateranensi, et ex propositione ab Alexandro VII. die 24. Septemb. 1665. proscripta (* 23).

(*l*) *Conc. Later. V. sess. 9. bull. S. Pii V.* Ex proximo *edita anno 1571.*

(22) Melius expenditur quæstio. Juxta probabiliorem sententiam, beneficiarius, etsi in sacris non constitutus, ratione beneficii ex religione quidem, non ex justitia obligatur officium recitare. Quare officium omittens animo restituendi fructus peccat graviter tantum contra religionem: si vero fructus non restituat, vel animum habeat non restituendi, tunc peccat quoque contra justitiam.

(*) Cujus verba erant: *Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.*

(23) Quod autem ad beneficiarios attinet, necesse est nonnulla notari. 1. Non tenentur officium recitare ante beneficii possessionem: nec si absque culpa fructus nullos percipiant, neque percepturi sint. Si vero fructuum partem percipiant, pro rata videntur aliquoties recitare. Tenentur tamen ad totum officium, si tantam percipiant partem, quæ ad sustentationem sit satis. 2. Juxta aliquos tenentur officium recitare, si uno, vel etiam duobus annis fructus non percipiant, eo quod assignentur fabricæ, vel prædecessori mortuo. 3. Secundum communiorem sententiam non obligantur ad officium, nisi dominicis aliisque festis, qui tenue habent beneficium, quod nempe non

111. Quinam excusantur a dicta restitutione?

Excusantur illi qui sine culpa omittunt officium; puta ratione infirmitatis, impotentiæ etc. sicuti patet ex citato Concilio.

112. Quodnam officium est recitandum?

Recitandum est officium juxta formam Breviarii Romani jussu S. Pii V. editi, et ab Urbano VIII. reformati, atque juxta præscriptum Kalendarii diœcesani. Excipe religiosos, qui habent peculiare officium Ordinis, et Ecclesias, quæ ducentis annis ante institutionem S. Pii V. peculiare habuerunt.

113. Satisfacitne præcepto, qui unum officium recitat pro illo, quod in Romano Breviario, vel Kalendario diœcesano designatur?

Quoad hoc mirifice variant Theologi. In tanto sententiarum divortio præstat sic respondere: Si quis culpa sua officium diei in aliud notabiliter brevius permutat, peccat graviter, atque præcepto non satisfacit; quod constat ex proposit. 34. ab Alex. VII. proscripta (*). Qui culpa sua mutat officium in æquale, vel longius, utrum peccet graviter an leviter, quæstio est: sed ex æquiori sententia peccat graviter, si frequenter hoc faciat. Qui vero ex inadvertentia officium dicit unum pro alio, non peccat, neque officium repetere tenetur; quoniam non præsumitur Ecclesia velle aliquem uno die bis ad idem grave onus obligare: consilium tamen est subjungere propria officii omissi. Sed si dictum officium esset notabiliter brevius, meliori modo debet fieri compensatio (✠).

---

pertingit ad tertiam partem sustentationis: excipe tamen, si culpa sua beneficium factum sit tenue; vel si sperent in posterum uberiores percipere fructus; vel plura habeant beneficia tenuia, ex quibus competentem hauriunt sustentationem; vel fructus pro substituto, aut pensione expendant, si beneficium acceptant cum onere talis pensionis solvendæ. 4. Demum qui officium omittit sex primis mensibus a receptione beneficii, graviter peccat; non tenetur tamen fructus restituere, sicut est declaratum a S. Pio V. in cit. bulla *Ex proximo.*

Si alia cupias, lege B. A. Ligorium lib. 3. num. 663. et seq. ac lib. 4. num. 144. et seq. Probabilius non tenetur officium recitare, qui per metum gravem injuste incussum ordinem sacrum suscepit.

(*) Quæ dicebat: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.*

(✠) Casu quo mutatio erit culpa levis, quælibet rationabilis causa satis est ad excusandum ab ista venialitate. Qui ex errore omisit officium alicujus Sancti, probabilius non debet illud facere in alio die non impedito, *S. R. C. die 7. Junii 1673.* Si quis, postquam multum processerit in officio indebito, puta post Matutinum, ad-

114. Qui utuntur Breviario Romano obliganturne ad officium B. M. Virginis, Defunctorum, ad Psalmos Pœnitentiales, vel Graduales, quando notantur in Kalendario diœcesano?

Minime, nisi in aliqua Ecclesia peculiaris sit consuetudo illa recitandi; uti constat ex bulla S. Pii V. *A Nobis*. Tenentur tamen recitare officium Defunctorum die secunda Novembris, et Litanias die S. Marci, et tribus Rogationum, et sane sub gravi juxta probabiliorem sententiam; sicuti patet ex rubrica, et generali consuetudine.

115. Quonam tempore recitandæ sunt horæ canonicæ?

Ad vitandum mortale in privata recitatione sufficit dici omnes horas a media nocte usque ad alteram mediam noctem (*): matutinum vero et laudes possunt pridie anticipari, ut infra dicetur. Perfectius tamen erit suis propriis temporibus singulas horas recitare.

116. Quodnam est proprium cujusque horæ canonicæ tempus?

Nunc temporis horæ parvæ licite recitantur a tempore auroræ usque ad meridiem: vesperæ vero post meridiem, post quas dici potest completorium: matutinum cum laudibus ex consuetudine jam præscripta recitari possunt die antecedenti, ut infra.

117. Quandonam matutinum cum laudibus pridie recitari possit: et num aliæ horæ anticipari possint pridie?

Ex consuetudine jam præscripta matutinum cum laudibus recitari possunt pridie eo tempore, quo sol propior est ad occasum, quam ad meridiem, uti notatur in tabellis nostratibus: sic tenet verior sententia (24). Aliæ vero horæ anticipari nequeunt pridie, quicquid aliqui dicant.

---

vertat errasse, melius est reliquum recitare de officio debito, ne errorem prosequatur.

Si quis autem oblitus est aliquam Horæ partem, sufficit partem omissam recitare. Si vero culpa partem notabilem omiserit, probabilius, saltem sub veniali, tenetur totam Horam repetere.

(*) Hinc peccat qui in puncto mediæ noctis diei sequentis reperitur aliquam partem non recitasse: neque audiendi dicentes, quod liceat incipere officium hodiernum paulo ante mediam noctem diei sequentis, et illud post mediam noctem prosequi. Iste tamen non tenetur postmodum officium recitare; nam, cum sit pensum diurnum, cum die omnino terminatur.

(24) Matutinum defunctorum die 2. Novembris dicendum nequit in choro pridie

118. Qui horarum tempora non observant, suntne ab omni culpa immunes?

Non vacant culpa levi; a qua ad excusandum quævis sufficit honesta causa (25).

119. Quandonam omissio divini officii est mortalis?

Ad definiendam hujusce omissionis gravitatem potius est totius officii quantitas respicienda. Verius et communius dici potest esse mortale integram omittere horam parvam, vel aliam partem, quæ parvam horam adæquat; reapse enim integra parva hora in se videtur gravis materia (26 ✱).

120. Licetne inceptam aliquam horam interrumpere?

Minime licet, nisi justa de causa (27).

121. Possuntne Laudes a Matutino separari?

Commune est, quod possint, etiam sine ulla causa; olim etenim sic separabantur. Immo juxta quosdam possunt nocturni invicem separari per duas vel tres horas; quod nunc temporis non est admittendum, nisi ex aliqua causa (28).

---

anticipari, *ex decretis S. C. R.* 23. *Maji* 1603. 1. *Sempt.* 1607. *et* 22. *Januar.* 1701. *editis*: privata recitatio licite absolvi potest post vespertinas horas festi Omnium Sanctorum, *S. R. C.* 4. *Septemb.* 1745. Litaniæ vero nullo modo possunt pridie anticipari, juxta communiorem et veriorem sententiam, *ex decr. S. R. C.* 28. *Mart.* 1775.

(25) Ex communi sententia ordo officii est accidentalis, neque cadit sub præcepto: quare ordinis inversio, sive inter horas, sive in ipsa aliqua hora (modo non fiat confusio) est culpa venialis, a qua excusat quælibet rationabilis causa. An idem sit in Choro, quæstio est.

(26✱) In dubio, an quid sit de officio omissum, scrupulosi non sunt obligandi ad repetendum. Alii vero sunt obligandi, si dubium est mere negativum: contra juxta communissimam sententiam non sunt obligandi in dubio positivo, si probabiliter judicatur, et juxta aliquos si conjectura adest, quod sit illa pars recitata; puta si quis recordatur incœpisse Psalmum, lectionem, horam etc. et postea non data opera distractus, vel non interruptus se inveniat in fine horæ, legendo, vel memoriter recitando ea, in quibus ordinarie non solet errare etc. vel ordinarie non soleat posteriorem horam dicere nisi post priorem etc.

(27) Interruptio notabili tempore sine causa erit tantum veniale. Justæ causæ interrumpendi sunt quælibet utilitas propria vel aliena; item urbanitas, devotio etc.

Probabilius et communius interrupta hora vel Psalmo, non est repetendum dictum, etsi magna sit interruptio.

(28) Cum Laudes a Matutino separantur, adjici debet *Pater noster*: an autem addenda sit etiam Oratio, quæstio est. Idem dicerem, si nocturnus ab alio separatur.

122. *Quomodo sunt horæ canonicæ recitandæ, ut Ecclesiæ præcepto satisfiat?*

Cum intentione seu voluntate saltem implicita orandi et laudandi Deum: quare ille modus est adhibendus, qui ad Deum orandum necessarius est (29).

123. *Quinam est iste modus necessarius in recitatione horarum adhibendus?*

Modus iste duplex est, exterior nempe, et interior.

124. *Quinam debet esse modus exterior in recitatione officii?*

Exterior modus duo potissimum exigit: 1. ut distincta sit, clara, et integra verborum pronuntiatio: 2. ut exterior corporis compositio illam gravitatem, modestiam, et reverentiam spiret, quæ ad internam conciliandam attentionem ac devotionem necessaria sunt (*30* ✻).

125. *Explica nunc modum interiorem, quo horæ canonicæ sunt persolvendæ.*

Hujusmodi modus duo pariter exigit, attentionem nempe, atque devotionem: sicuti monet Apostolus (*m*), quisque *psallat spiritu: psallat et mente.*

126. *Quænam attentio requiritur?*

Ex D. Thoma triplex esse potest attentio, superficialis nempe, seu ad verba; litteralis, idest ad sensum; et spiritualis, nempe ad Deum: quarum ultima est perfectior (*31* ✻✻).

---

(29) De intentione relege dicta in III. tract. num. 60. et sequent.

(*30*✻) Peccat venialiter qui syllabas mutilat vel syncopat ita, ut verborum sensus non corrumpatur, vel mutilat in parva quantitate: immo nullo modo peccat, si hoc faciat involuntario, puta ob inadvertentiam, balbutiem, inveteratam consuetudinem etc. Contra non excusatur a mortali, si mutilatio sit voluntaria, magna, et sensus varietur. Idem fere dicendum de eo, qui ultro et sine causa recitat cum socio mutilante.

(*m*) *1. Cor. 14. 15.*

(*31*✻✻) Attentio interna est, vel externa: interna est, ut supra: externa habetur, cum non ponitur actio incompossibilis cum attentione interna; hujusmodi actio esset fabulari, scribere etc. Externa juxta omnes est necessaria. Probabilius requiritur etiam interna: sed sufficit ut sit vel ad Deum, vel ad sensum, vel ad verba tantum, ut aliqui tenent ex D. Thoma 4. dist. 15. q. 4. modo sit cum intentione generali colendi Deum: nec requiritur attentio ad singula verba; sed sufficit moralis et generalis, qua quis curet omnia bene proferre cum intentione orandi: sic etiam sufficit, si sit virtualis, id est virtute perseverans ex præcedente actuali voluntarie non retractata. De cetero DD.

127. *Quænam devotio adhibenda est?*

Ea devotio, quæ consistit in piis cordis affectibus, quibus orationem prosequimur; sicuti docuit D. Augustinus (*n*): *Si orat psalmus, orate: et si gemit, gemite: et si gratulatur, gaudete: et si sperat, sperate: et si timet, timete.*

128. *Quid dicendum de mentis distractionibus?*

Distractiones involuntariæ nec peccatum sunt, nec meritum tollunt: voluntariæ vero, sive in se sive in causa, culpa non carent, orationemque inficiunt; et magis minusve prout voluntas concurrit (✻).

129. *Si quis mente attenta ac devota, non vero voce officium recitaret, satisfaceretne præcepto?*

Nequaquam; quia præcipitur oratio vocalis.

130. *Qui cum socio officium recitat, an satisfaciat? Qua voce tunc recitandum est?*

Utique satisfacit; quod est conforme primæ institutioni Ecclesiæ, ac publico orandi ritui. Sed tunc ea voce uti debent, ut quisque audiatur a socio: nec unus debet suum versum dicere, priusquam alter integre absolverit suum (32 ✻✻).

---

communiter docent, quod ut quis dicatur officio non satisfacere, non solum requiritur, ut voluntarie se distrahat, sed etiam ut plene advertat se distrahere: dixi *plene etc.* si enim semiplene ad distractionem adverteret, satisfaceret ad officium, licet leviter peccaret.

Scrupulosi vero non sunt obligandi ad repetendum officium, nisi certi sint mutasse intentionem orandi: immo potest etiam eis aliquando interdici recitatio officii, si inde graves paterentur anxietates.

(*n*) *In Psal. 30. enar. 4. n. 1.*

(✻) Ad distractiones vitandas sequentia possunt adhiberi remedia. Præmittenda est aliqua præparatio, qua quis ad cor rediens, cogitet id quod agit. 2. Præmittenda aliqua brevis oratiuncula, ad divinum auxilium petendum; ut est illa: *Aperi Domine os meum etc.* 3. Locus eligatur a strepitu et distractionibus remotus. 4. Ut corpore composito, et mente in Deum intenta recitetur officium. 5. Ut quis, statim ac distractiones advertit, se recolligat, et ferventius prosequatur officium.

Quando sit inclinandum caput, genuflectendum, standum, signum Crucis adhibendum etc. legatur in rubricis generalibus Breviarii, etc.

(32 ✻✻) Ex communi sententia satisfacit præcepto qui audit a socio Lectiones, Responsoria, Capitula, Orationes, et Antiphonas: item qui partem Psalmorum dicit solus, et partem cum socio. Secundum aliquos satisfacit etiam qui solus dicit Psalmos, et Lectiones audit.

Qui in choro, vel cum sociis officium recitat, non tenetur ea repetere, quæ non

131. Potestne clericus diebus festis eodem tempore Missam audire, et officium recitare?

Maxime, quicquid aliqui dicant; possunt enim eodem tempore per diversos actus plura præcepta adimpleri, dummodo unus actus alium non impediat, nec attentio uni debita attentionem tollat debitam alteri.

132. Quænam sunt causæ ab horarum recitatione excusantes?

Præcipuæ sunt Infirmitas, Impedimentum justum, Cæcitas, Carentia Breviarii inculpata, et Dispensatio (*33* ✠).

---

satis percipit propter strepitum aliorum: si non percipit propter culpam chori, vel socii, quæstio est: si vero non percipit ob culpam suam, tunc tenetur repetere.

(*33* ✠) I. Ratione infirmitatis excusantur non solum gravi laborantes morbo, sed etiam qui non possunt recitare nisi cum gravi incommodo, aut probabili hujusmodi incommodi periculo; puta si ex recitatione prudenter timetur notabilis gravedo capitis proventura, vel cruditas stomachi, aut virium lassitudo, vel febris tardius esse remittenda, *ex can. 2. dist. 91.* Convalescentes ex gravi morbo excusantur per aliquot dies ad arbitrium prudentis, donec vires reficiantur. An excusentur laborantes febri tertiana vel quartana, quæstio est: sed potius sunt morbi et personæ circumstantiæ inspiciendæ. In dubio vero an infirmitas sufficiat ad excusandum, potest quisque judicio superioris, aliusve prudentis, aut medici se committere, *ex cap. 6. de frig. et malef.*

II. Ratione justi impedimenti excusantur omnes, qui tota die occupantur in religionis vel charitatis officiis, quæ sine scandalo, aut magno detrimento proprio vel alieno omitti nequeunt: isti sunt Concionatores, si nequeunt omittere concionem absque scandalo vel nota; Confessarii, qui per totum diem confessiones excipiunt, quas differre non possunt; infirmis assistentes; publicis thesibus ex officio attendentes, etc.

III. Cæci, et qui Breviarium non habent, obligantur, omissa aliquorum opinione, quod memoriter possunt, dicere, *ex prop. 54. ab Innoc. XI. proscripta:* non tenentur tamen memoriæ mandare quod nesciunt. Item probabilius obligantur, qui habent Psalmos, illos recitare. Sic etiam tenentur ex communi horas recitare, qui non habent proprium dici, quicquid aliqui audiant: ita quoque ex veriori sententia tenentur ex alio Breviario recitare, qui proprio carent.

Qui non potest totum recitare officium, obligatur ad partem quam potest: vide dicta superius, et in tract. III. num. 71. ac not. subject. Qui aliquo tempore impeditur, tenetur in eadem die recitationem anticipare, vel postponere, licet aliqui contra sentiant: probabilius tamen non tenetur matutinum et laudes pridie dicere etc. Ita quoque ex veriori sententia, qui non potest solus recitare, tenetur adhibere socium, si potest habere gratuitum absque magno incommodo: num autem in casu beneficiarius obligetur socium ex beneficii fructibus conducere, concertant DD.

IV. Pontifex valide dispensat, adhuc sine causa: Episcopus autem dispensare nequit, nisi ex causa, cum aliquo particulari, et ad tempus.

§. *III. De Obligatione habendi titulum sustentationis.*

133. Quot sunt tituli sustentationis, sine quibus nemo potest ad Subdiaconatum promoveri?

Sunt tres; paupertatis nempe, quo initiantur tantum Religiosi professi (*34*); beneficii, et pensionis, seu patrimonii sufficientis pro Clericis sæcularibus (*o*).

✠ *134. Cur Ecclesia neminem sæcularem clericum vult sacris initiari, nisi aliquem titulum ad honestam vitæ sustentationem sufficientem habeat?*

Ut ministri Ecclesiæ de victu et vestitu minime solliciti, rebus divinis et studio libere vacare queant; nec ob defectum honestæ sustentationis cogantur mendicare, aut turpem quæstum exercere (*p*).

135. Quale debet esse beneficium, ut sit ad ordinandi sustentationem sufficiens?

Id non est generali lege taxatum; sed est desumendum juxta taxam vel consuetudinem cujuscumque diœcesis (*q.35*).

136. Quid si beneficii reditus olim erant juxta taxam sufficientes, sed postea temporis vicissitudine sunt imminuti; estne hoc beneficium habendum sufficiens?

Minime; quia tempore ordinationis debet habere sufficientes reditus (*36*).

(*34*) Novitii non possunt, nisi constituto patrimonio, sacros ordines suscipere, sub pœna suspensionis, *ex constit.* Romanus *S. Pii V.* exceptis Religiosis Societatis Jesu, qui post vota simplicia ordinari possunt absque patrimonio.

(*o*) *Trid. sess. 21. de reform. cap. 2.* (*p*) *Loco cit.* (*q*) *Ex variis locis.*

(35) Si defectus beneficii sit modicus, puta decimæ vel nonæ partis, licite quis ordinatur.

Nomine beneficii in præsenti materia intelligunt DD. etiam coadjutorias perpetuas, vel quotidianas distributiones, vel capellaniam, vel pensionem, vel præstimonium perpetuum. Ex veriori sententia non potest quis ordinari ad titulum beneficii de futuro etsi certi; requiritur enim pacifica possessio, *Trid. loc. cit.* Potest tamen quis ordinari Subdiaconus, et Diaconus ad titulum beneficii possessi, etsi reditus exigere non possit usque dum fiat Sacerdos, *Barbosa all. 19. n. 29. Armendar. Garcia*, *B. A. Ligorius etc.*

(*36*) Si titulus casu pereat vel insufficiens evadat, non potest clericus ad superiorem ordinem ascendere sine novo titulo, vel supplemento.

*

137. Si beneficium sit capellania, quæ adnexum habeat onus celebrandi missas, suntne detrahenda missarum onera, an computandi sunt universim reditus, nulla habita ratione oneris missarum?

Ex decreto S. Cong. Concilii die 17. Julii 1723. hoc est conscientiæ et arbitrio Ordinariorum relictum, ut ipsi, spectatis circumstantiis, statuant an hujusmodi onera sint, vel non detrahenda (37). Sunt tamen subducendi sumptus externi et alia gravamina, si sint beneficio imposita.

138. Capellania simplex per se amovibilis potestne esse titulus sustentationis, licet non sit beneficium?

Non potest, nisi ex beneplacito Episcopi, vel locorum consuetudine; et reddatur aliquo modo inamovibilis.

139. Explica nunc titulum pensionis, et patrimonii.

Pensio est jus percipiendi partem fructuum ex beneficio alterius. Patrimonium est fundus clerico assignatus, ex quo percipiat annuos fructus.

140. Quale debet esse patrimonium sufficiens ad titulum ordinationis?

Debet esse super re certa, immobili, vel quæ immobili æquivalet, de sua natura frugifera, pacifice possessa, nec ære alieno aut hypotheca gravata, ex qua, deductis oneribus, juxta taxam diœcesis perpetuo percipiat clericus annuos reditus ad honestam sustentationem sufficientes (38 ✠).

---

(37) In nostro regno onera missarum beneficii vel capellaniæ sunt detrahenda: at deducenda est tertia pars duorum carolenorum pro quaque missa. Remittitur tamen Ordinariorum arbitrio faciendi, vel non hujusmodi deductionem, quum pro beneficio vel capellania non plus quam centum in anno celebrandæ sunt missæ: ita ex resolutione Commissionis, quæ Concordatum exequitur, a Summo Pontifice, et a nostro Rege adprobata mense Januarii 1822.

(38 ✠) Sufficit 1. census perpetuus, adhuc redimibilis; modo Episcopus cautionem adhibeat, ut in aliam applicetur emtionem, si redimatur. 2. Si quis de suis reditibus tot annuos aureos ad sustentationem sufficientes per instrumentum ordinando assignet. 3. Juxta nonnullos si qua communitas bona sua obliget ad clericum alendum.

Ex veriori sententia non potest quis ordinari ad titulum suæ industriæ vel honesti laboris, puta quod sit magister, pictor etc.

Ex art. 21. concordati nostri regni an. 1818. patrimonium sacrum debet constitui in bonis fundis, quorum reditus sit saltem quinquaginta aureorum in anno: non est tamen ex hac summa deducendum annuum tributum, quod vulgo dicitur *fondiaria*, ex reg. rescripto 18. Martii 1830. Beneficium, et capellania in bonis fundis possunt

141. *Quænam fraudes, et quinam defectus intercedere possunt in constitutione patrimonii?*

Sequentes. 1. Si bona assignata in toto vel ex parte sint aliis ita obligata, ut non supersit libera reditus requisita quantitas. 2. Si adsit pactum expressum vel tacitum bonorum possessionis permanendæ vel revertendæ ad eum, qui ea in patrimonium assignavit, aut pactum non exigendi vel recipiendi fructus. 3. Si adsit præjudicium debitæ legitimæ (39). 4. Si quod imponatur onus, puta alendi patrem, fratrem etc. et ita libera non supersit quota requisita etc.

142. *Si beneficium, vel pensio, vel patrimonium non sit sufficiens, aut legitimum, incurriturne aliqua pœna?*

Ordinandus, si interveniente fraude vel dolo id agat, aut consensum præstet, est ipso jure a susceptis ordinibus suspensus, quicquid aliqui dicant (r). Episcopus ordinans vel dimissorias concedens tenetur ipse clericum alere, usque dum ille titulum habeat (s): item pro rata tenentur Examinatores, qui mala fide titulum approbaverint, si ipsis Episcopus rem remiserit, et eorum defectu tenetur Episcopus (t 40).* Insuper omnes præsentantes falsum, fictum, aut fiduciarium patrimonium, aut quomodocumque fraudulentum; nec non constituentes, consulentes, aut quomodolibet concurrentes, sive cooperantes, omnes incidunt in excommunicationem Ordinario reservatam, ex 6. casu in tabella. *

---

esse titulus ordinationis, modo eorum reditus ad dictam taxam pervenerint; alias supplendus est defectus, *cit. art. concord.* Hujusmodi patrimonium requiritur tantum pro ordinandis in sacris, non in tonsura aut in minoribus, *art. cit. et decision. laud. Commissionis mense Septemb. 1820.*

Patrimonium ab ascendentibus adsignatum computatur in legitima, nisi expresse sit datum titulo prælegati, antepartis etc. Relege in tract. IX. num. 310. ac not. (*U*).

Si filius, parente irrationabiler invito, vellet ordinem sacrum suscipere, tenetur pater illi patrimonium assignare.

(39) In nostro regno tribunalia civilia in sacris patrimoniis examinandis nequeunt ante tempus, et patre vivente, discutere utrum adsit legitima pro aliis filiis, *reg. rescript. 18. Martii 1830.*

(r) *Ex variis locis.*

(s) *Cap.* Accepimus *13. de ætate, et qualit. et ord. præficiend. et cap.* Cum secundum *16. de præb. etc.*

(t) *Glos. in dicto cap.* Cum secundum.

(40) Attamen isti omnes non tenentur 1. si debitam adhibuerint diligentiam: 2. si clericus possit aliunde vivere.

143. Possuntne bona patrimonii alienari, aut obligari?

Non possunt sine licentia Ordinarii, et sine substitutione alterius rei liberæ atque ad sustentationem sufficientis. Idem est de resignatione beneficii, cujus titulo quis fuerit ordinatus.

144. Si ordinatus titulo patrimonii cum pacto in constitutione expresso ipsum restituendi; quando aliunde provisus esset; reipsa aliunde consequatur congruam provisionem, potestne patrimonium restituere sine consensu Episcopi?

Minime potest, omissa aliorum sententia; sed requiritur ut de facto fiat substitutio ex consensu Episcopi (*u*).

§. IV. *De obligatione ferendi habitum et tonsuram, et de nonnullis Clerico prohibitis.*

145. Quomodo peccant Clerici habitum clericalem non deferentes?

Peccant graviter, si sint Clerici beneficiarii, vel in sacris constituti (*x*): excipitur, si talem habitum non deferant ad breve tempus, vel justa de causa. Alii vero Clerici non excusantur a culpa veniali, quidquid alii sentiant.

146. An aliquam incurrant pœnam?

Beneficiarii, vel in sacris constituti clericalem habitum non deferentes per Ordinarios sunt suspensione aliisque pœnis coërcendi (*y*): et si tonsuram etiam dimittant, post tertiam monitionem privilegium amittunt et fori et canonis (*z*). Alii Clerici habitum et tonsuram non deferentes non gaudent privilegio fori (*a 41*).

147. Quid de Clerico, qui, divinis officiis prætermissis, in negotiationibus secularibus se immiscet?

Iste, præter peccatum, post tertiam monitionem clericale amittit privilegium quoad bona sua (*b*).

148. Quænam sunt præcipua opera secularia Clericis interdicta?

Sequentia: 1. Arma militaria deferre. 2. Officium Judicis agere

(*u*) *Ex Trid. loc. cit. et ex decr. S. Cong. 4. Feb. 1653.*
(*x*) *Trid. sess. 14 de reformat. cap. 6.* (*y*) *Idem ibid.*
(*z*) *Cap.* Contingit *45. de sent. excomm.*
(*a*) *Trid. sess. 23. de reform. cap. 6.*
(*41*) Alia de habitu et tonsura dicta sunt num. 16. 17. 18. et 22.
(*b*) *Cap.* Ex litteris *16. de vita et honestat. clericor.*

in causa sanguinis. 3. Officium Advocati, nisi in causa propria, vel propriæ Ecclesiæ, vel pauperum, vel consanguineorum intra quartum gradum, modo isti nullum alium inveniant idoneum advocatum. Non est tamen vetitum Clericis non Sacerdotibus advocare pro negotiis ecclesiasticis in quocumque foro. Sic etiam Clerici in minoribus sine beneficio possunt quascumque causas civiles advocare: probabilius tamen nequeunt causas criminales; at juxta quosdam probabiliter licet reum tueri. 4. Munus Notarii seu Tabellionis exercere. 5. Medicinam et chirurgiam agere cum incisione et adustione (42). 6. Macellarii, tabernarii, joculatoris, aliasque exercere artes viles. 7. Negotiationem, vel ludum frequentare (43). 8. Venationibus clamorosis frequenter vacare. 9. Choreas ducere, aut eis publice interesse; aut personati incedere; aut mimis, joculatoribus, et histrionibus intendere. Hæc omnia sub variis pœnis clericis vetantur, sicuti constat ex diversis juris locis (44).

CAPUT V.

DE DIACONATU.

✠ *149. Quid significat nomen Diaconi ?*

Diaconus a verbo Græco διακονέω, idest *ministro*, latine ministrum significat; quoniam Diaconus minister est Sacerdotis in altaris ministerio. Dicitur etiam *Levita ;* nam Levitarum instar Sacerdoti cooperatur in sacris muneribus.

150. Quid est Diaconatus ?

Est ordo major et sacer, quo per manus impositionem sub certa verborum forma potestas traditur solemniter legendi Evangelium, et Sacerdoti celebranti immediate adsistendi.

151. Estne Sacramentum ?

Maxime, quicquid aliqui dicant. Tria enim Sacramentum constituunt, scilicet signum sensibile, gratiæ infusio, et divina institutio: atqui in collatione Diaconatus hæc tria concurrunt: ergo

(42) Relege scripta in v. tract. num. 120. et not. (71).

(43) De quibus dictum est in IX. tract. num. 156. et sequent. nec non 222. cum (77).

(44) Alias clericorum obligationes in opere dispersas habes.

Sacramentum est. Re quidem vera habetur 1. signum sensibile, id est materia et forma: habetur 2. gratiæ infusio, sicuti patet ex verbis *Accipe Spiritum Sanctum*; et Concilium Tridentinum (c) damnat eos, qui asserunt Episcopum frustra dicere *Accipe Spiritum Sanctum*: habetur 3. divina institutio; non enim nisi Deus potest signo sensibili suam gratiam adnectere.

152. Quænam est materia ?

In ordine isto duplex assignari solet materia remota, nempe manus dextera Episcopi, ac liber Evangeliorum; et duplex proxima, idest impositio dictæ manus, et libri traditio.

153. Num utraque est materia essentialis ?

Quoad hoc variant Doctorum sententiæ: præstat tamen dicere solam manus impositionem esse materiam essentialem; sicuti patet ex primis Ecclesiæ temporibus, et ex præsenti Græcorum usu: libri vero traditionem esse materiam integrantem in Ecclesia Latina. Quare in eadem Ecclesia Latina utraque materia est in praxi adhibenda.

154. Quænam est Diaconatus forma ?

Item duplex est: prima in manus impositione est *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum Diabolo, et tentationibus ejus. In nomine Domini*: secunda in traditione libri est *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini.*

✻ *155. Cur in ordinando Diacono solus Episcopus imponit ei manum, et non alii Sacerdotes adstantes, sicuti fit in ordinatione Presbyteri ?*

Quia Diaconus non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur, ut ait Pontificale.

156. Quodnam est hoc Diaconorum ministerium? Nonne Apostoli septem priores Diaconos ordinarunt, ut temporalia ministrarent Ecclesiæ bona ?

Apostoli quidem Diaconis commiserunt bonorum curam et administrationem: at ejusmodi administratio non fuit eorum præcipuum ministerium, sed secundarium: proprium enim et principale

(c) *Sess. 23, can. 4.*

Diaconorum munus est, et semper fuit in sacris mysteriis ministrare, sicuti constat ex Scripturis, et ex perpetua atque universali traditione.

157. Recense nunc Diaconorum officia sacra.

Diaconi munus est solemniter Evangelium cantare, immediate Sacerdoti ministrare in altari, ex debita commissione prædicare atque baptizare (45), et expleto sacrificio populum dimittere.

158. Quales debent esse ad Diaconatum provehendi?

Qui illas habent dotes, quas Apostoli in primis septem Diaconis requisierunt, nempe ut sint *boni testimonii*, *pleni Spiritu Sancto*, *et sapientia* (*d*).

159. Quænam requiruntur in promovendis ad hunc ordinem?

Requiruntur ætas viginti trium annorum saltem inceptorum, tonsura, minores ordines, Subdiaconatus, anni interstitium, exercitium Subdiaconatus, scientia sufficiens ad Diaconatus obeunda munera, approbatio Episcopi, status gratiæ, et vestes sacræ albi coloris.

✠ *160. Quatenus stola uti potest Diaconus?*

Uti potest stola transversa a sinistra scapula ad deterum latus pendente.

✠ *161. Quinam ritus servatur in ordinatione Diaconi?*

Ad Diaconatum ordinandi amictu, alba, cingulo et manipulo induti se prosternunt ad Litanias Sanctorum. Dein post epistolam vocati accedunt tenentes dalmaticam super brachium sinistrum, stolam manu sinistra, et candelam dextera. Genuflexis ipsis ante Episcopum, Archidiaconus ad Episcopum dicit: *Reverendissime pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut hos præsentes Subdiaconos ad onus Diaconii ordinetis.* Petit Episcopus, *Scis illos dignos esse?* Testificante Archidiacono esse dignos, Episcopus a clero et populo petit, si quid contra ipsos habeant. Nemine contra ipsos aliquid opponente, Episcopus illos admonet, et post aliquas preces singulis imponit dexteram manum dicens *Accipe Spiritum Sanctum etc.* Amplius singulis imponit stolam transversam dicens *Accipe stolam candidam de manu Dei*,

(45) Utrum, et quomodo possit Diaconus baptizare, vel Eucharistiam ministrare, dictum est in 1. tract. num. 63. cum notis, et num. 120. cum (51).

(*d*) *Act. 6. 3.*

adimple ministerium tuum; potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam. Qui vivit etc. et singulos induit dalmatica sic ajens *Induat te Dominus indumento salutis, et vestimento lætitiæ, et dalmatica justitiæ circumdet te semper. In nomine Domini.* Insuper dat singulis librum Evangeliorum dextera tangendum cum verbis *Accipe potestatem etc.* Tandem pro ipsis orat: et suo tempore unus de ordinatis Evangelium cantat.

162. Quid Episcopus post ordinationem Diaconis imponit?

Recitationem nocturni ferialis illius diei.

CAPUT VI.

DE PRESBYTERATUS ORDINE, EJUSQUE PRÆCIPUIS MUNERIBUS.

SECTIO I.

DE NOTIONE ET ESSENTIA PRESBYTERATUS.

✠ *163. Quid significat Presbyteri nomen, ex quo hic ordo Presbyteratus vocatur?*

Presbyter, græce Πρεσβυτερος, seniorem significat. Sic vocantur hoc ordine insigniti, non solum propter ætatis maturitatem, quæ huic ordini maxime necessaria est; sed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam, et prudentam, quæ in eis requiruntur (e).

✠ *164. Nonne Presbyteri vocantur etiam Sacerdotes?*

Maxime; tum quia Deo sunt sacrati; tum quia ad eos pertinet res sacras tractare (f).

165. Quid est Presbyteratus, seu Sacerdotium?

Est ordo major et sacer, quo confertur potestas conficiendi corpus et sanguinem Christi, remittendi ac retinendi peccata, et pascendi fideles opere ac doctrina.

(e) *Can.* Cleros 1. §. 12. *distinct.* 21. *Catech. Rom. de sacram. ord. num.* 22.
(f) *Can.* Cleros *cit.* §. 11.

166. Estne Sacramentum?

Utique, et est de fide; sic constat ex Scripturis, perpetua universali traditione, et ex Concilii Trid. definitione (g 46).

167. Quandonam Christus Presbyteratum instituit?

Quoad potestatem conficiendi Eucharistiam in ultima cœna, cum Apostolis dixit *Hoc facite in meam commemorationem* (h). Quoad potestatem vero remittendi ac retinendi peccata præcipue instituit post suam resurrectionem, cum ait Apostolis *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt* (i).

168. Quænam est materia et forma Presbyteratus?

Non convenit inter doctos. Alii volunt duplicem esse materiam et formam: primam pro potestate conficiendi Eucharistiam esse traditionem calicis cum vino, et patenæ cum hostia non consecrata cum verbis *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini*: alteram pro potestate remittendi ac retinendi peccata contendunt esse ultimam manuum impositionem post communionem, sub forma *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata remittuntur eis; et quorum retinueris, retenta sunt*. Alii addunt etiam manuum unctionem cum illa peculiari forma *Consecrare, et sanctificare digneris etc.* Alii alia sentiunt. Probabilior tamen sententia tenet secundam tantum manuum Episcopi impositionem cum adnexa oratione essentialem esse materiam et formam: nam nonnisi hæc semper et ubique adhibita fuit, atque adhibetur; et constat ex Act. 13. 3. 1. Timoth. 4. v. 14. et c. 5. v. 2. et 2. ad eundem 1. 6. Trid. sess. 14. cap. 3. ex vetustis Sacramentariis, ac Ritualibus; et ex Græcorum Euchologiis etc. (47)

169. Num in hac sententia Presbyteri, qui cum Episcopo manus imponunt, sint etiam Presbyteratus collatores?

Minime, sed solus Episcopus; nam solus Episcopus formam, nempe orationem profert.

(g) *Sess. 23. can. 3.*

(46) Relege dicta num. 3. et 4.

(h) *Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24. etc. Trid. sess. 22. cap. 1. can. 2. et alibi.*

(i) *Joan. 20. 22. et 23. Trid. sess. 14. de Pœnit. cap. 1. can. 3. aliubique.*

(47) Lege sis Bened. XIV. de Synod. lib. 8. cap. 9.

170. Quid ergo est sentiendum de traditione calicis et patenæ, ac de ultima manuum impositione cum respondentibus formis?

Esse ritum accessorium et integrantem, ab Ecclesia Latina additum ad melius explicandam utramque potestatem Presbyteris collatam. In praxi tamen omnia sunt caute implenda.

171. Quænam prærequiruntur in ordinando ad Presbyteratum?

Sequentia: 1. Ætas vigintiquinque annorum saltem inceptorum. 2. Ut sit tonsura omnibusque anterioribus ordinibus insignitus. 3. Ut in diaconatu ministraverit. 4. Anni interstitium. 5. Scientia sufficiens ad populum necessaria ad salutem docendum, et Sacramenta ministranda. 6. Morum pietas. 7. Denique status gratiæ.

172. Quænam sunt Presbyterorum officia?

Sunt Sacrificium Missæ celebrare; a peccatis absolvere præhabita Episcopi licentia, quæ quidem licentia non requiritur, si quis in mortis articulo reperiatur; ex licentia Parochi solemniter baptizare, extremam Unctionem, et Viaticum ministrare, et matrimonia jungere; prædicare, benedicere, et quæ sunt id genus alia.

173. Quænam debent esse Presbyterorum dotes?

Scientia sufficiens, vitæ sanctitas, morum pietas, et aliæ, ut rite suo munere ipsi fungantur.

✠ *174. Expone breviter ritum, quo Presbyteri ordinantur.*

Ordinandi Presbyteri amictu, alba, cingulo, manipulo, et stola trasversa induti, cum ceteris se prosternunt ad Litanias Sanctorum. Post tractum Missæ super brachium sinistrum planetas albi coloris complicatas tenentes, et candelas ac mappulas albas in dextera gerentes, ab Archidiacono vocati coram Episcopo se sistunt. Tunc Archidiaconus Episcopo dicit: *R.me Pater, postulat S. Mater Ecclesia Catholica, ut hos præsentes Diaconos ad onus Presbyterii ordinetis.* Tunc Episcopus ab Archidiacono petit, num sciat illos esse dignos. Archidiacono testante esse dignos, Episcopus a clero et populo adstante quærit, num quid contra ipsos habeatur. Post breve moræ spatium, nihil ullo opponente, Episcopus de sacerdotali munere illos admonet. Dein incipit ordinatio. Episcopus super caput singulorum manus imponit nihil dicens: post eum statim alii Sacerdotes idem agunt. Mox Episcopus cum aliis Sacerdotibus dexteram extensam super illos tenent, interim Episcopus pre-

ces fundit. Dein Episcopus sub certis formulis eis stolam in formam Crucis ante pectus aptat, planetamque imponit retro super humeros complicatam. Post hæc canitur hymnus *Veni Creator Spiritus*: interea Episcopus oleo catechumenorum eorum ambas manus ungit dicens *Consecrare, et sanctificare digneris, Domine etc.* quas minister linteolo ligat. Post hanc unctionem Episcopus porrigit singulis patenam cum hostia, et calicem cum vino et aqua digitis tangendum, dicens *Accipe potestatem offerre etc.* Dein novi Presbyteri post lotas manus, et candelæ oblationem in locum suum reversi, una cum Episcopo Missam concelebrant. Ante *Communio*, coram Episcopo recitant symbolum Apostolorum: quo expleto Episcopus super capita singulorum manus imponit dicens *Accipe Spiritum Sanctum etc.* planetam explicat dum dicit *Stola innocentiæ induat te Dominus*: et accepta reverentiæ atque obedientiæ promissione, dat eis osculum pacis, atque benedicit. Demum perficiunt Missam.

175. Ad quid obligantur Sacerdotes ratione obedientiæ in ordinatione emissæ ?

Episcopo suo subjectionem deferre in iis, quæ sacrum ministerium spectant. Inter alia nequeunt sine Ordinarii licentia discedere a servitio Ecclesiæ, cui fuerint addicti (*k*): excipitur tamen, si velint ad Religionem transire (*l*).

176. Quid oneris Episcopus novis Presbyteris imponit ?

Ut post primam missam tres alias celebrent, unam de Spiritu Sancto, alteram de B. Maria semper Virgine, tertiam pro defunctis (*48*).

✠ *177. Quænam est vestis Sacerdotum propria ?*

Est stola, vel e collo utrinque pendens, vel ad pectus in Crucis formam adaptata : nam planeta etiam Diaconi ac Subdiaconi olim utebantur, et nunc quoque aliquibus diebus utuntur.

178. Num Presbyteri Episcopis sint æquales ?

Nequaquam: dogma enim fidei est ex Scripturis, traditione,

(*k*) *Ex constit.* Ex quo dilectus *Ben. XIV. die 14. Januarii 1747. emanata.*

(*l*) *Can.* Duæ sunt *2. §. 1. caus. 19. q. 2.*

(*48*) Quæstio est, num sub gravi vel levi sunt istæ missæ persolvendæ. Item est quæstio, an Neopresbyter pro istis missis, et pro prima, quam celebrat cum Episcopo, possit stipendium accipere. Vide Ben. XIV. de Sacrif. Missæ lib. 3. cap. 16. num. 10.

ac Trid. definitione patens (m*), Episcopos Presbyteris esse superiores et ordine et jurisdictione; et sane jure divino ex vera sententia.

179. Quot et quinam sunt effectus ordinis Presbyteratus?

Sunt duo, gratia nempe tam sanctificans, quam specialis ad rectum usum ordinis; et character, seu potestas animæ impressa conficiendi corpus et sanguinem Christi, et remittendi ac retinendi peccata.

SECTIO II.

DE POTESTATE CONFICIENDI EUCHARISTIAM, PROUT EST SACRAMENTUM.

Quoniam de Sanctissima Eucharistia satis est dictum in x. tract. parte III. ne bis eadem scribantur, in ista et sequenti sectione habeantur scripta quæ in eodem tractatu sunt sequentibus numeris signata, quippe quæ magis videntur presbyteris ordinandis scitu necessaria.

✠ *180. Quotuplici respectu potest Eucharistia considerari?*

Duplici respectu, uti sacramentum nempe, et uti sacrificium. 94. et 95. 97. usque ad 121.

181. Quibus potest hoc sacramentum ministrari?

Omnibus præter indignos. Indigni sunt, proindeque a communione arcendi, publici peccatores, excommunicati, interdicti etc. etsi publice petant; nisi constet de eorum pœnitentia et emendatione. Peccatores vero occulti publice petentes non sunt arcendi ad scandalum vitandum: si vero occulte petant, sunt arcendi; nisi sint emendati.

126.

(m*) *Sess. 23. cap. 4. et can. 7.* Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores..... anathema sit.

SECTIO III.

DE POTESTATE SUPER EUCHARISTIA, PROUT EST SACRIFICIUM.

§. *I. De Notione et essentia hujus sacrificii.*

§. *II. De præstantia, valore, et fructibus sacrificii Missæ.*

§. *III. De tempore, loco, aliisque requisitis ad sacrificium celebrandum.*

§. *IV. De modo celebrandi, et dispositionibus Sacerdotis.*

§. *V. De Stipendio Missæ: et varia obligatione inde emanante.*

SECTIO IV.

ALIQUA NOTANTUR DE POTESTATE REMITTENDI AC RETINENDI PECCATA.

✠ *182. Quænam est potestas remittendi et retinendi peccata, quæ Presbyteris collata est?*

Est potestas absolvendi a peccatis pœnitentes dispositos: vel negandæ aut suspendendæ absolutionis, si pœnitentes non dispositi judicantur.

✠ *183. Quis Sacerdotibus tribuit potestatem absolvendi et retinendi peccata?*

Ipse Dominus Jesus Christus, cum Apostolis eorumque in sa-

cerdotio successoribus dixit (n) *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.*

184. *Sacerdos eo ipso quod est ordinatus, potestne statim absolvere?*

Non potest, antequam ei ab Ordinario loci jurisdictionis potestas tribuatur (o).

✠ 185. *Sacerdos post ordinationem sine alia facultate valide consecraret, cur non absolveret valide?*

Quia consecrandi potestas cum non sit judiciaria, jurisdictionem non requirit. Potestas vero absolvendi judiciaria est, et jurisdictionem requirit. Est ergo necesse auctoritas et approbatio Prælatorum Ecclesiæ, qui dum sacerdotem approbant, eidem in suos subditos jurisdictionem conferunt.

✠ 186. *An simplex Sacerdos, etsi ad confessiones non approbatus, possit aliquando absolvere?*

Maxime, cum nempe quis reperitur in mortis articulo, et copia deest Confessarii approbati: tunc ei, ne qua anima periclitetur, ab Ecclesia tribuitur requisita jurisdictio (p).

✠ 187. *Quomodo se gerere debet Sacerdos cum pœnitente in articulo mortis constituto?*

Curare debet, quantum circumstantiæ permiserint, ut pœnitens per confessionem, contritionem, et propositum ad absolutionem recte disponatur. Opportune adhibeat remedia, si pœnitens in occasione proxima versetur, aut odium contra inimicum foveat, aut aliquid restituere teneatur etc. Excitet eum ad actum fidei, spei, charitatis, qui maxime in articulo mortis sunt exercendi. Aliaque curabit, ut munere suo rite fungatur.

✠ 188. *Quid si moribundus habeat casus vel censuras reservatas?*

Tunc quoque, deficiente potestatem habente, eum a reservatis absolvat (q). Quoad censuras vero pœnitenti injungere debet, ut si convalescat, superiori se præsentet; alioquin in easdem recidet censuras (r).

(n) *Joan. 20. 23. aliisque Scripturæ locis, ex perpetua universali traditione, Trid. sess. 14. cap. 6. ac 7. et can. 3. aliubique.*

(o) *Ex Trid. citatis locis.*

(p) *Ex pervetusta consuetudine a Trid. confirmata cit. cap. 7.*

(q) *Loc. cit. Trid.* (r) *Ex cap.* Eos qui 22. *de sent. excomm. in 6. et aliunde.*

✻ *189. Quid agendum, si moribundus sit hæreticus, vel schismaticus?*

Disponendus est prius ad abjurandam hæresim vel schisma, contrarios actus eliciendo.

✻ *190. Quid si moribundus non sit sui compos, aut loquela destituatur?*

Si pœnitentiæ dederit signa, est absolvendus.

✻ *191. Quid si signa sint dubia?*

Etiam est absolvendus, quicquid aliqui dicant; cum sit probabile quemlibet etsi scelestum, in articulo mortis velle remedium animæ suæ: tutius tamen est sub conditione illum absolvere, ne sacramentum nullitati exponatur.

✻ *192. Si vero moribundus nulla exhibuerit signa, quid Sacerdos aget?*

Est etiam sub conditione absolvendus, quamvis alii contra sentiant; ex ratione supra allata; et potest evenire, ut det signa pœnitentiæ, quæ tamen ab adstantibus non videntur.

✻ *193. Quid agendum Sacerdoti, si ad ministerium confessionum audiendarum vocatur?*

Paratus esse debet congruenti scientia, vitæ probitate, disciplinæ et animarum zelo, nec non magna prudentia.

✻ *194. Unde hauriet congruentem hujus ministerii scientiam?*

Studio, consilio, oratione, aliisque mediis opportunis.

✻ *195. Quomodo se gerere debet in casibus dubiis ac difficilibus, qui identidem contingere solent?*

Tunc scriptores examinet, doctos et pios consulat, auxilium a Deo petat; deinde eas partes suscipiat, quas tum ratione, tum auctoritate magis firmas intelliget.

196. Recita absolutionis formam.

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen. Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Ego te absolvo a peccatis tuis, In nomine Patris, et Filii, et Spi-

ritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, et omnium Sanctorum, et quidquid boni feceris, vel mali sustinueris sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ. Amen.

Si pœnitens est laicus, omittitur verbum *suspensionis*.

In confessionibus frequentioribus, et brevioribus omitti potest *Misereatur tui etc.* ac satis est dicere *Dominus noster Jesus Christus etc.* usque ad *Passio Domini etc.*

Urgente vero aliqua gravi necessitate adhiberi potest forma brevis *Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

TRACTATUS XIII.

DE MATRIMONIO.

Ut fausta sint et sancta matrimonia, Ecclesiæ ac Societatis plurimum refert: ex eis enim felix utriusque status magna in parte dependet. Ea ratione in Ecclesia semper solitum fuit Matrimonio sponsalia præmitti, ut Sponsi ad hoc magnum Sacramentum sedulo se compararent, nec temere perpetuo conjugii vinculo adligarentur. Quapropter de Matrimonio majori cura tractaturi, ab Sponsalibus necesse est initium sumamus.

PARS I.

DE SPONSALIBUS.

CAPUT I.

DE SPONSALIORUM NATURA.

1. Quid sunt Sponsalia? (*)

Sponsalia sunt futurarum nuptiarum mutua repromissio inter personas jure habiles (a 1).

(*) Sponsalia dicta sunt a spondendo, *L. 2. D. de Sponsal.* Qui spondet dare puellam in uxorem dicitur *Sponsor*; puella promissa dicitur *Sponsa*; et ille, cui promittitur, vocatur *Sponsus*, *L. 3. D. eod.*

(a) *L.* Sponsalia 1. *D. eod.*

(1) Hic agitur de sponsalibus de futuro; quia si sunt de præsenti a matrimonio non differunt.

2. *Quænam conditiones ad sponsalia requiruntur?*

Sequentes: ut sint vera, libera, mutuo repromissa et acceptata, ut habeatur ætas legitima, et habilitas contrahentium (b 2).

3. *Peccatne, qui sponsalia ficte celebrat?*

Maxime, et quidem graviter; quia in re gravi decipit proximum.

4. *Sponsalia ficte inita suntne valida?*

Si sint promissa sine animo promittendi, sunt nulla; quia revera non adest promissio: si sint promissa sine animo se obligandi, omissa contraria sententia, sunt etiam nulla; deest enim substantia promissionis, nempe animus se obligandi: si denique sint promissa sine animo exequendi, et tunc sunt valida; nam animus exequendi est quid accessorium naturam sequens sui principalis, quod est animus se obligandi (3).

5: *Qui ficte puellæ matrimonium promittit causa extorquendi copulam ab ea, teneturne illam uxorem ducere?*

Si puella est honestæ vitæ, et æqualis conditionis, tenetur (quidquid aliqui pauci non recte sentiant) si non vi promissionis, certo tenetur ex contractu innominato, *do, ut facias* (4). Si vero puella non est æqualis conditionis, sed honestæ vitæ, tunc non tenetur eam ducere; quia non habetur æqualitas requisita ad obligationem inducendam ex contractu oneroso: sed tenetur eam dotare, vel providere de nuptiis, ad damnum reparandum. Si denique non est puella honestæ vitæ, fictus promissor tenetur tantum ad multam (5).

6. *Danturne casus, in quibus fictus promissor non tenetur puellam ducere, quamvis ista sit honestæ vitæ, et æqualis conditionis?*

Dantur: et 1. est quando ex tali matrimonio sequerentur scan-

---

(b) *Plur. utriusq. jur. loc.*

(2) Sponsalia possunt esse vera, aut ficta; libera, vel coacta; expressa, vel tacita; absoluta, vel conditionata; per se, aut per procuratorem; publica, aut clandestina.

(3) In primo et secundo casu obligatur fictus promissor ad damna inde secuta.

(4) Etiamsi fictus promissor voto castitatis, aut Religionis, aut suscipiendi sacrum ordinem sit ligatus, ex probabiliori sententia. Quare iste probabilius tenetur voti dispensationem petere, saltem ut possit matrimonium consummare, et debitum petere.

(5) Idem dicendum, si viduæ fuit ficte promissum matrimonium ad copulam extorquendam.

dala, rixæ, discordiæ, aliave mala; quoniam quisque non tenetur ad id, quod non potest sine peccato exequi: attamen tenetur puellam dotare, vel de nuptiis providere. 2. Quando vir est conditionis multo majoris, et sufficiens dedit signum suæ fictionis, tunc ne tenetur quidem puellam dotare ex probabiliori opinione; ista enim non fuit decepta, sed se deceptam finxit. 3. Quando fictus promissor vult puellam ducere, et ista ejusve parentes nolunt; quia per ipsum non stat, quominus adimpleatur promissio; quare ad nihil tenetur (6). 4. Quando puella se virginem simulabat; tunc enim fictio unius compensatur fictione alterius: attamen tenetur ad damnum, si sit parentibus putatæ virginis allatum (7).

7. Quænam libertas ad sponsalia requiritur?

Libertas perfecta, quæ sufficit ad peccatum mortale: quia sponsalia sunt contractus humanus, adeoque humano modo sunt perficienda (8).

8. An teneatur ad sponsalia inita, qui eorum obligationem ignorabat?

Quæstio est: alii negant; quia non habet veram se obligandi voluntatem, qui obligationem ignorat: alii affirmant; quia obligatio effectus est necessarius liberæ promissionis; et potius hoc valet, quando promittens intendit se obligare, sicut omnes alii se obligant sponsalia contrahentes.

9. Dubitans de sponsalibus teneturne ad illa?

Si dubitatur, utrum sint sponsalia contracta, quæstio est: probabilioristæ affirmant; quia in dubiis tutior pars est eligenda: probabilistæ negant; quoniam possessio stat pro libertate. Si vero certo sint sponsalia contracta, sed dubitatur, utrum adfuerit animus se obligandi, utrum fuerint valide contracta etc. juxta omnes hujusmodi sponsalia obligant; nam quilibet actus juxta suam naturam præsumitur factus.

---

(6) Si nolunt parentes, juxta aliquos fictus promissor tenetur ad damna puellæ.

(7) Ex iisdem fere causis, liberatur quis ab onere contrahendi matrimonii vere promissi.

(8) Utrum sint valida sponsalia vi aut metu inita, jam diximus in ix. tract. num. 11. et sequent.

Probabilius sunt valida sponsalia inter raptorem et raptam.

An sponsalia nulla juramento firmentur, dictum est in eod. tract. num. 71.

10. Suntne sponsalia externis signis manifestanda?

Maxime; sunt enim actus humanus, proindeque humano modo sunt perficienda (9).

11. Quænam verba aut signa ad sponsalia requiruntur?

Positiva, determinata, et præsentem exprimentia voluntatem contrahendi matrimonium in futuro: non sufficiunt verba negativa, e. g. *non ducam aliam, nisi te*; neque verba simplex propositum aut desiderium exprimentia, e. g. *propono te ducere, vellem te ducere etc.* (10)

12. Requiriturne acceptatio?

Affirmative; nulla enim valet promissio absque acceptatione.

13. An sufficiat taciturnitas?

Minime sufficit; quia in onerosis qui tacet nec consentire, nec dissentire videtur (c). Excipitur tamen, si parentes coram filiis, sive puberibus, sive impuberibus, pro ipsis promittunt vel acceptant sponsalia, filiis tacentibus, et interne consentientibus, uti habetur ex cap. *Si infantes* unico §. 2. de desponsat. impuber. in 6. (11)

14. Quid si filii tacentes internum non præstiterint consensum?

Sponsalia in conscientia sunt nulla; quoniam deficit consensus (d). In foro externo habentur uti valida; quia in hujusmodi taciturnitate consensus præsumitur: idem potiori ratione dicendum, si filii sint absentes, et taceant sponsaliorum habentes notitiam.

15. Quid si spondeant vel acceptent tutores, fratres etc?

Sponsalia sunt nulla, quidquid aliqui contra dicant; solis enim parentibus hoc privilegium lex concedit. Aliqui vero tenent, aliquando etiam valere hujusmodi sponsalia, quando nempe sunt in manifestum commodum minoris, fratris etc.

---

(9) Triplici modo possunt sponsalia manifestari, aut verbis, aut signis, aut muneribus, juxta locorum consuetudinem.

(10) Quando verba aut signa sunt dubia, in foro interno standum est intentioni contrahentium: in foro externo probabilius nulla sunt existimanda sponsalia.

(c) *Reg. jur.* Is qui 44. *in 6.*

(11) Idem est, si parentes spondent vel acceptant pro filiis absentibus, *ex eod. cap.* At nonnulli volunt, ut filii tacite vel expresse ratificent hujusmodi sponsalia.

(d) *Loc. cit.*

16. Debentne esse sponsalia mutuo repromissa?

Utique; talis est enim eorum natura (*e*). At si promittens intelligat se obligare sine repromissione, tenetur ad sponsalia, sed ex vi simplicis promissionis.

17. Sponsalia conditionata (12) *fiuntne absoluta, copula carnali intercedente?*

Maxime; præsumitur enim per copulam conditionem remitti (*f*).

18. Valentne sponsalia, quamvis absoluta, quando prius sponsalia conditionata cum alia persona sunt celebrata?

Minime; cum sint de re illicita: et hoc est quamvis priorum postea non impleatur conditio; nam ex reg. 18. jur. in 6. non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.

19. Qui sponsalia cum una puella contrahit, et postea cum alia, quam carnaliter cognoscit, sponsalia contrahit, tenetur ad prima, an ad secunda?

Si secundam animo maritali cognoscit in illis locis, ubi lex Trid. de clandestinitate non est recepta, tenetur ad secunda sponsalia; quia sunt verum matrimonium: aliter (omissa opposita sententia) tenetur ad prima ex justitia, cum secunda fuerint nulla: attamen prima sponsa ex charitate tenetur jus suum cedere, ut damnum copula illatum reparetur; ut puta si adsint filii legitimandi etc. (13)

20. Quænam ætas requiritur ad sponsalia contrahenda?

Ætas usus rationis, qui in septennio solet apparere (*g*).

(*e*) *L.* Sponsalia 1. *D. de sponsal.*

(12) Utrum sint valida sponsalia sub conditione inita, vide sis in IX. tract. num. 49. 50. et 51. Tantum est hic notandum, quod conditio turpis tribus matrimonii bonis opposita verificanda est post matrimonium, ut sint sponsalia nulla; vel habere debet effectum post matrimonium, uti est procuratio sterilitatis.

(*f*) *Argum. ex cap.* Per tuas 6. *de condit. apposit.*

(13) Nonnulli theologi agnoscunt etiam sponsalia incerta, quando nempe quis uni de pluribus matrimonium promittit, absque determinatione personæ; v. g. Titius quatuor puellis dicit: *Unam de vobis uxorem ducam*, et istæ omnes acceptant, et repromittunt. Qua mundi regione talia celebrentur sponsalia, ignoro. At si talia darentur, promittenti incumbit obligatio determinandi personam: et ita sponsalia valida evadunt atque absoluta.

(*g*) *Ex cap.* Litteras 4. *cap.* Accessit 5. *et cap.* Ad dissolvendum 13. *de desponsat. impuber. L.* In sponsalibus 14. *D. de sponsal. et alibi.*

21. *Quid in peculiari dicendum de sponsalibus impuberum?*

Hujusmodi sponsalia partim sunt rata, et partim suspensa: partim sunt rata; quia impedimentum inducunt publicæ honestatis (*h*): partim sunt suspensa; quoniam impubes, acquisita pubertate, potest a sponsalibus resilire (*i*).

22. *Quantum temporis conceditur; ut possint acquisita pubertate a sponsalibus resilire?*

Triduum a die cognitionis adeptæ pubertatis, si jam scitur hujusmodi privilegium: aliter triduum est computandum a die adeptæ cognitionis ejusdem privilegii (*k*).

23. *Potestne impubes, acquisita pubertate, a sponsalibus resilire, altera parte contradicente?*

Maxime; hoc enim privilegium impuberi conceditur, ne cogatur approbare, quod in tenella ætate fecerit (*l*).

24. *An impuberes tempore impubertatis possint sponsalia dissolvere?*

Minime; quia gaudent hoc privilegio acquisita pubertate (*m*).

25. *Pubes qui cum impubere contraxit sponsalia, potestne illa dissolvere?*

Nequaquam; nam hoc privilegium impuberibus conceditur (*n*).

26. *Impubes qui prius, quam alter, acquirit pubertatem, tenenturne alterius pubertatem expectare, ut possit a sponsalibus resilire?*

Minime; cuique enim impuberum conceditur hoc privilegium, et frustra expectaretur.

27. *An aliquando impuberes hoc non gaudeant privilegio?*

Maxime: et 1. si carnaliter sese cognoverunt (*o*); quia facto, si non ætate, puberes sunt. 2. Si impubescentes juramento sponsalia firmarunt (*p*): si vero non sunt impubescentes, quæstio est. 3. Si adepta pubertate sponsalia rata habuerunt; tunc enim veluti in pubertate celebrata existimantur.

28. *Requiriturne ad sponsalia parentum consensus?*

Ad valorem non riquiritur, uti eruitur ex Trid. sess. 24. de

(*h*) *Ex cit. cap.* Litteras. (*i*) *Cap.* De illis 7. *et* A nobis 8. *de desponsat. impuber.*
(*k*) *Ex cit. cap.* De illis, *et l.* Sententiis *ult. C. de errore advocat. etc.*
(*l*) *Ex cit. cap.* De illis. (*m*) *Ex cit. cap.* De illis, *et aliunde.* (*n*) *Cit. cap.* De illis.
(*o*) *Ex cit. cap.* A nobis. (*p*) *Closса in cit. cap.* De illis.

reform. matrim. cap. 1. Ad leceitatem requiritur, et peccant filii contrarium agentes; quia agunt in re tam gravi absque consilio parentum (14).

29. Possuntne parentes sponsalia sine eorum consensu inita impedire?

Sine causa justa non possunt; et peccant, si filios sine justa causa impediunt, quominus suam obligationem adimpleant: ex justa causa possunt, e contraria ratione.

30. Quinam sunt ad sponsalia inhabiles?

Omnes qui aliquo impedimento sunt irretiti, sive dirimente, sive impediente.

31. Sponsalia inter irretitos aliquo impedimento inita sub conditione si Pontifex dispensaverit, *suntne conditionata?*

Vel solet Pontifex in tali impedimento dispensare, et sunt conditionata; quia est vera conditio, possibilis et honesta: aliter sunt nulla, cum sint moraliter impossibilia.

32. Requiriturne ad sponsalia præsentia parochi, et testium?

Minime; Trid. enim sess. 24. de reform. matrim. cap. 1. irritavit matrimonium clandestinum, non sponsalia (15).

33. Quinam sunt sponsalium effectus?

Sunt sequentes: 1. gravis obligatio ex justitia contrahendi matrimonium: 2. impedimentum publicæ honestatis: 3. juxta nonnullos jus inchoatum ad corpus.

34. Sponsi confitentes fornicationem cum extraneo commissam, tenentur manifestare se esse sponsos?

Quæstio est: aliqui negant; quia nullum per sponsalia acqui-

---

(14) Utrum graviter, an leviter peccent, quæstio est. At si ita agunt justa de causa, omnino non peccant: ut puta, si pater sine justa causa prohibeat filium a conjugio; aut velit ei dare mulierem indignam, vel ægram, vel duræ conditionis, vel aliquam contra filii voluntatem; aut quando filius injuste a parentibus opprimeretur; aut non posset filius commode patrem certiorem facere ob distantiam etc. aut crederet patrem libenter consensurum, et alia id genus.

(15) * Attamen in nostra diœcesi, ut possit apponi impedimentum in Curia ad aliud matrimonium contrahendum, requiritur vel attestatio Parochi de sponsalibus contractis coram eo, vel instrumentum dotale jam confectum, in quo indicatur jam fuisse sponsalia contracta, vel præsentia et documentum saltem trium testium juratorum, quorum unus saltem directe deponere debet sponsalia fuisse coram se contracta: sic statuitur in synodo Pignatell. part. 2. cap. 9. num. 5. *

ritur jus ad corpus inter sponsos: alii affirmant ob contrariam rationem: alii denique improbabiliter docent ad hoc tantum sponsam teneri; quia solus sponsus jus acquirit ad corpus sponsæ.

35. *Quid est pactum lucrativum in matrimonio?*

Est pactum, quo aliquid dari statuitur causa contrahendi matrimonium.

36. *Estne validum?*

Minime, cum sit contra bonos mores, et matrimonii libertatem (q).

37. *An aliquando sit licitum, et validum?*

Maxime, quando nempe cessat turpitudo; veluti cum aliquid promittitur ratione dotis, donationis propter nuptias, ad tollendam inæqualitatem, quando hujusmodi pactum apponitur a tertia persona etc. (r)

38. *Estne licitum pœnam conventionalem in sponsalibus apponi?*

Si apponatur contra resilientes simpliciter, est illicita, et invalida (s 16); cum sit contra matrimonii libertatem: si vero apponatur contra injuste resilientes, juxta plurimos, et quidem probabilius, est valida et licita; quia est in favorem matrimonii, et nullo jure prohibita (t).

39. *An licita sit inter sponsos arrharum traditio (17) in matrimonii securitatem?*

Maxime; quia est matrimonio favorabilis, et a jure approbata (u).

40. *Cuinam acquiruntur arrhæ?*

Celebrato matrimonio, sunt tradenti restituendæ: si matrimonium non sequatur ex culpa tradentis, iste amittit arrhas: si

(q) *L.* Si ita stipulatus 97. §. Si tibi 2. *D. de verbor. oblig. Abbas in cap.* Gemma mulier 29. *de sponsal. num. 6.*

(r) *Ex cap.* De illis 3. *de condition. apposit. etc. et aliunde.*

(s) *Ex cit. cap.* Gemma, *et l.* Titia 134. *pr. D. de verbor. oblig. et alibi.*

(16) Etiamsi sit jurata, ex probabiliori sententia. Quare si sit soluta, probabilius est restituenda. Excipe, si qui eam solvit, donare intendit.

(t) *Novell. 18. Leonis Imperat.*

(17) Arrha dicitur id, quod dari solet in confirmationem et securitatem alicujus contractus ea lege, ut resiliens a contractu datum amittat.

(u) *Ex cap.* Tua nobis *ult. de desponsat. impuber. et l.* Mulier 5. *C. de sponsal. etc. alibiq.*

vero non sequatur ex culpa recipientis, tenetur iste duplum restituere, si habet vigesimumquintum annum completum, aut veniam ætatis impetrarit; aliter tenetur ad simplum, idest ad solas arrhas acceptas: si denique matrimonium non sequatur ex nullius culpa, etiam sunt arrhæ danti restituendæ: hæc est enim arrharum natura (x).

41. *Suntne donationes inter sponsos permissæ?*

Affirmative; quia non opponuntur matrimonii libertati (y).

42. *Cuinam acquiruntur?*

Donatario, secuto matrimonio: si vero matrimonium non sequatur, sunt donanti restituendæ (z): sed si intercesserint oscula, tactus etc. potest sponsa donataria dimidiam partem in compensationem retinere (a).

CAPUT II.

DE CAUSIS, QUIBUS SPONSALIA DISSOLVUNTUR.

43. Q*uibus de causis dissolvuntur sponsalia?*

Pluribus de causis: scilicet 1. per mutuum dissensum, tum quia possunt ambo cedere juri suo, tum quia res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur (b). 2. Per votum, nempe per professionem religiosam; et per susceptionem ordinis sacri (c). 3. Per matrimonium subsequens. 4. Per lapsum temporis. 5. Per notabilem mutationem in pejus. 6. Per discessum in longinquum. 7. Denique per impedimentum dirimens superveniens.

44. *Peccatne, qui post contracta sponsalia profitetur, aut suscipit sacros ordines, inscia vel invita altera parte?*

Minime, quoniam in sponsalibus adest implicita conditio *nisi meliorem statum elegero* (18).

(x) *L.* Arrhis 3. *C. eod.* et *l.* Mulier *cit. aliubique.*
(y) [art. 1046.] (z) *L.* Si a sponso 16. *C. eod.*
(a) *L.* Si præsidi 2. *C. de donat. ante nupt. etc.* [art. 1043.]
(b) *Cap.* Omnis res 1. *de regul. jur.*
(c) *Ex cap.* De diacono 1. et Meminimus 3. *qui Clerici, vel voventes etc.* et aliunde.
(18) Quoad ordines sacros adest opinio contraria etiam probabilis.
Nonnulli asserunt, si sponsalia sint jurata, teneri sponsum ad servandum jura-

45. An solo ingressu religionis dissolvantur sponsalia?

Omissis omnibus ab aliis dictis, dissolvuntur ex parte remanentis in seculo, quia ingrediens cedit juri suo: non vero ex parte ingredientis, ne locus detur fraudibus, neque hoc ullo jure habetur.

46. An aliquando quis post contracta sponsalia non possit religionem ingredi, aut ordinem suscipere, sed matrimonium teneatur contrahere?

Maxime, quando nempe adsunt filii legitimandi, vel est consulendum famæ puellæ: tunc enim viget vinculum justitiæ.

47. An votum simplex castitatis sponsalia reddat nulla?

Sponsalia post tale votum inita sunt nulla; quia de re illicita (*d*). Si vero votum fuerit post sponsalia emissum, tunc solvuntur sponsalia ex parte non voventis: utrum solvantur ex parte voventis, quæstio est: aliqui docent dissolvi sponsalia; quia illis imbibita est conditio *nisi meliorem statum elegero:* alii vero negant ex ratione, quod non sit Deo gratum votum cum præjudicio alterius(19).

48. Per subsequens matrimonium dissolvunturne sponsalia?

Maxime, quamvis sint jurata; nam vinculum fortius dissolvit minus forte (*e*).

49. Sponsalia per subsequens matrimonium sunt omnino extincta, an tantum suspensa?

Ex parte innocentis sunt omnino extincta; contrahens enim cessit juri suo. Utrum sint etiam extincta ex parte contrahentis, quæstio est: alii affirmant; quia obligatio fortior obligationem extinguit minus fortem: alii probabilius negant, sed dicunt esse tantum suspensa; quia una obligatio aliam non destruit.

50. Dissolvunturne sponsalia per lapsum temporis?

Si tempus sit adjectum ad finiendam obligationem, dissolvun-

---

mentum ante Religionis ingressum matrimonium celebrare. At communissima et verior sententia contra tenet.

Dissident Theologi in definiendo utrum per susceptionem Ordinum minorum sponsalia solvantur. Nunc temporis probabilius mihi videtur solvi tantum ex parte sponsæ.

(*d*) *Cap.* Rurrus *6. qui clerici vel voventes etc.*

(19) Potiori ratione id est, si votum sit ad alteram partem eludendam emissum. Idem dicendum de sponsalibus contractis post votum non nubendi, aut ingrediendi religionem, aut suscipiendi sacros ordines.

(*e*) *Cap.* Si inter *31. de sponsal. et alibi.*

tur; talis enim fuit intentio contrahentium (*f* 20): si vero tempus sit appositum ad sollecitandam vel differendam adimpletionem, tunc sponsalia non solvuntur; in casu enim duplex adest obligatio, contrahendi nempe matrimonium, et illud contrahendi tali tempore, prima principalis, altera accessoria, quarum secunda cessante non cessat prima.

51. *Possunt ne sponsalia dissolvi per notabilem mutationem in pejus?*

Maxime, sive mutatio sit in corpore, sive in animo, sive in bonis fortunæ, sive in fama; quia si fuisset hæc mutatio a principio cognita, non essent sponsalia contracta (*g* 21 ✠ 22).

52. *Per fornicationem postea patratam possuntne sponsalia dissolvi?*

Affirmative ex parte innocentis; adest enim mutatio notabilis in pejus (*h* 23).

(*f*) *Cap.* Sicut tuis 22. *de sponsal.*

(20) Hoc est, si per utramque partem stetit, ne matrimonium celebratum esset intra tempus præfixum. At si culpa unius non celebretur matrimonium, probabilius et communius sponsalia solvuntur tantum ex parte innocentis: sic etiam dicendum, si defectu unius inculpabili, puta quia legitime impeditus, matrimonium non sequatur.

(*g*) Patet etiam ex variis juris locis.

(21) Idem dicendum, si notabilis defectus, seu causa jam ante extans post contracta sponsalia detegatur.

(✠) Ex communi DD. illa causa sufficit, quæ si fuisset prævisa, aut cognita, sponsalia non fuissent contracta. Hujusmodi causæ esse videntur 1.° *In corpore*, lepra, paralysis, morbus gallicus, tisis, aliusque morbus contagiosus, gravis mutilatio, amissio oculi, nasi etc. oris gravis fætor, vel gravis deformitas, præsertim in sponsa, aut si sponsus reddatur ineptus ad opificium exercendum, vel ad necessariam sustentationem adquirendam. 2.° *In animo* inimicitia vel grave odium inter sponsos, morum asperitas, sævitia, grave vitium, justus timor, ne ex matrimonio scandala oriantur, vel gravia odia inter consanguineos etc. 3.° *In bonis fortunæ*, si gravibus debitis sit obstrictus, aut adsit periculum paupertatis etc. si dos promissa non detur, vel sponsus timeatur a patre exheredari etc. 4.° *In fama*, nempe gravis infamia sive personalis, sive familiæ.

(22) Utrum autem pars occulto laborans defectu sufficiente ad sponsalia solvenda, teneatur illum alteri parti manifestare, vel a nuptiis desistere, non convenit inter doctos. Probabilius dicendum teneri, si defectus perniciosas redderet nuptias. Contra non tenetur, si defectus redderet nuptias tantum minus appetibiles: quare pars vitiosa, etsi interrogata, potest defectum dissimulare æquivoce respondendo etc.

Juxta aliquos si pars alterutra ex inopinato fiat notabiliter ditior, aut honestior, potest propterea a sponsalibus resilire.

(*h*) *Ex cap.* Quemadmodum 25. *de jure jur.*

(23) Si vero fornicatio fuerit ante sponsalia, potest sponsus postea cognoscens for-

53. Potestne sponsus sponsalia dissolvere, si sponsa sit ab alio vi oppressa?

Maxime, quidquid aliqui dicant; semper enim adest notabilis mutatio in pejus.

54. Quid si ambo sponsi cum aliis sint fornicati?

Alii dicunt sponsalia solvi ex parte utriusque, quia justa adest resiliendi causa. Alii volunt solvi tantum ex parte sponsi; quia sponsa fit vilior. Alii denique negant posse solvi; nam ex regula juris *paria delicta mutua compensatione tolluntur*: et si hæc est lex de divortio ex adulterio (*i*), ex eadem ratione extendenda est ad sponsalia.

55. An sufficiant ad sponsalia dissolvenda oscula tantum, vel tactus etc.?

Maxime, si habentur ex parte sponsæ; quia vilior fit, et suspicionem præbet de fide in matrimonio. Idem dicendum, si habentur ex parte sponsi, quando sunt frequentes et valde turpes.

56. Solvunturne sponsalia per discessum in longinquum?

Si discessus est sine justa causa, et absque venia remanentis, sponsalia statim dissolvuntur, sive sit discessus animo redeundi, sive animo non redeundi (*k*): quia sic discedens cedere videtur juri suo. Si vero discessus est ex venia remanentis, sponsalia non dissolvuntur; sic enim se obligavit remanens veniam dando. Si vero sine venia, sed ex justa causa est discessus, tunc remanens expectare debet biennio, si discessus est intra provinciam, triennio, si est extra provinciam (24).

57. An sponsalia solvantur per impedimentum dirimens superveniens?

Maxime, quoniam evadunt de re moraliter impossibili (25).

nicationem sponsæ sponsalia solvere. At non potest item sponsa, cognita sponsi fornicatione, ut plurimi docent Doctores: excipiunt tamen, si sponsus sit huic vitio deditus, vel ex fornicatione filium habeat.

(*i*) *Cap.* Intelleximus *6. de adulter.*

(*k*) *Ex cap.* De illis *5. de sponsal.*

(24) Sic erat sancitum l. *Sæpe justæ* 17. D. de sponsal. et l. *Si is* 2. C. de sponsal. etc. ac l. *Liberum est* 2. C. de repudiis etc. sed nunc a judice ecclesiastico potius est tempus taxandum; quia jus nostri regni nullam dat actionem cuicumque promissioni matrimonii (*art. 148. et alibi.*)

(25) Juxta aliquos si impedimentum superveniat ex culpa alicujus, iste tenetur

58. *Requiriturne judicis ecclesiastici auctoritas ad sponsalia dissolvenda ob aliquod de prædictis capitibus?*

Si causa est certa, non requiritur judicis auctoritas, nisi ad scandalum vitandum, quando nempe sponsalia sunt publica, et causa ea dissolvendi est occulta: si vero causa est dubia, tunc requiritur judicis auctoritas; nemo enim jure certo est privandus ob causam incertam.

* CASUS RESERVATUS

CUM EXCOMMUNICATIONE RELATE AD SPONSOS.

59. Q*Uænam sunt verba hujus casus?*

Sunt sequentia: *Sponsi, et Sponsæ post contracta sponsalia, etiam privata inter se, et ante matrimonium legitime celebratum, carnalem inter se copulam habentes, nec non parentes, consanguinei, et affines omnes, aut quicumque, domus curam habentes eandem carnalem copulam, vel Sponsorum cohabitationem, vel pernoctationem, etiam pro una vice, permittentes:* casus VII. in tabella.

60. *Quænam est materia expressi casus?*

Copula carnalis inter sponsos, permissio ejusdem copulæ, aut ipsorum cohabitationis, aut pernoctationis.

61. *Quinam sunt in hoc casu comprehensi?*

Sponsi carnaliter inter se cognoscentes, parentes, consanguinei, affines, aut quicunque, domus curam habentes sponsorum copulam, aut cohabitationem, aut pernoctationem permittentes.

62. *Quid requiritur ad casum incurrendum?*

Requiritur 1. ut sponsalia sint vera, absoluta, et valida, etsi privata: hinc non incurritur casus, si sponsalia sint nulla, aut fuerint soluta: requiritur enim, ut sint veri sponsi. 2. Ut copula sit perfecta, et consummata; actus enim completus requiritur ad pœnas incurrendas.

---

dispensationem petere, si obtineri possit; quare in casu sponsalia solvuntur tantum ex parte innocentis.

63. *Quid si sponsi ætate sint impuberes, et tamen carnaliter inter se cognoscantur?*

Non incidunt in casum; quia ad incurrendos casus tabellæ 14. annorum completorum habenda est ætas: sed permittentes incidunt, si sint hujusmodi ætatis, nempe 14. annorum.

64. *Quid requiritur, ut habeatur pernoctatio?*

Ut per totam fere noctem sponsi morentur in eodem loco.

65. *Quando habetur cohabitatio?*

Quando sponsi simul habitant, ita tamen ut amborum unum dici possit domicilium, et eo tempore, quod ad quasi-domicilium saltem requiritur.

66. *Quid est permittere?*

Non prohibere, quod quis potest et tenetur prohibere.

67. *An incidant in casum sponsi ipsi pernoctantes, vel cohabitantes?*

Minime; quoniam isti agunt, non permittunt.

PARS III.

DE MATRIMONIO.

CAPUT I.

DE MATRIMONII NOTIONE, ET NATURA.

68. *Quid est Matrimonium?* (*)

Duplici modo potest matrimonium respici, veluti contractus, et veluti sacramentum. Veluti contractus est conjunctio maritalis viri ac mulieris inter personas legitimas individuam vitæ consuetudinem retinentes (*l*). Veluti sacramentum est signum sensibile gratiæ collatæ viro ac mulieri legitimo consensu copulatis, ad perpetuam vitæ consuetudinem retinendam (26).

(*) Factum est hoc nomen a verbis *Mater Munium*, seu *munus*, uti ait August. contra Faust. lib. 19. *Matrimonium ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat fœmina nubere, quam ut mater fiat.* Concordat D. Thom. in supplem. q. 44. a. 2. Vocatur *Conjugium*; quia virum ac mulierem sub uno eodemque quasi jugo constituit; *Catech. Rom. de matrim. n. 1.* Sic quoque dicitur *Connubium* et *Nuptiæ* ab obnubendo, eo quod antiquitus pudoris gratia se velabant puellæ, dum dabantur viris, *can. 8. caus. 30. q. 5. Genes. 24. 65.*

(*l*) *Cap.* Illud *11. de præsumtion.* §. Nuptiæ *1. Instit. de patr. potest.*

(26) Nonnulli tertium quoque in matrimonio addunt respectum, nempe illud respiciunt uti vinculum; in quo definiunt matrimonium *Conjunctio maritalis etc.* ut supra: uti contractum vero sic definiunt: Est contractus legitimus, quo vir et mulier sibi mutuo tradunt corporum potestatem, et se obligant ad individuam vitæ consuetudinem retinendam.

Fines matrimonii sunt vel *essentiales*, qui sunt traditio mutua cum obligatione reddendi debitum, et vinculum indissolubile: vel *accidentales intrinseci*, et sunt procreatio prolis, et remedium concupiscentiæ: vel *accidentales extrinseci*, qui plurimi esse possunt, nempe omnes alii qui possunt haberi præter dictos. Ad valorem matrimonii sufficit, ut salventur fines substantiales: quare senes, steriles etc. valide contrahunt. Probabilius ne venialiter quidem peccat qui matrimonium init principaliter

69. Quotuplex esse potest matrimonium?

Triplex, legitimum, ratum, et consummatum: primum est, quod legitimo consensu celebratur; et habet locum inter infideles: secundum est, quod habet rationem etiam sacramenti, per quam majorem firmitatem ac indissolubilitatem acquirit; et habet tantum locum inter fideles: tertium est, quod copula carnali completur et consummatur, sive sit legitimum, sive ratum.

70. Estne matrimonium verum novæ legis Sacramentum?

Maxime, et est de fide: sic constat ex perpetua traditione, et ex Trid. definitione (m*).

71. Quinam sunt ministri hujus Sacramenti?

Magnum est hoc inter Theologos dissidium: alii communius volunt ministros esse ipsos contrahentes; ex eo quia isti formam proferunt, scilicet verba consensum exprimentia: alii vero probabilius tenent ministrum esse Sacerdotem; aliter contrahentes essent eodem tempore ministri, et suscipientes; et matrimonio mutorum deesset forma.

72. Quare ergo a Trid. requiritur Parochus matrimonio assistens?

Requiritur tamquam testis auctorizabilis, ad valorem contractus.

73. Quænam est materia, et forma hujus Sacramenti?

Quæstio est a præcedenti quæstione dependens. Juxta primos materia remota sunt corpora conjugum mutuo tradenda, materia proxima est ipsa corporum traditio, forma est consensus expressus per verba, vel per alia signa. Juxta alteros materia remota sunt corpora tradenda, materia proxima est consensus, quo fit traditio, et forma sunt verba Sacerdotis *Ego conjungo vos etc.* (27)

---

propter remedium concupiscentiæ. Quæstio est utrum sit licitum matrimonium contrahere principaliter ob fines accidentales extrinsecos. At probabilius licet, si finis est per se honestus, ut puta ad pacem conciliandam; ad amorem fovendum, ad conservandum familiæ honorem, ad sanitatem tuendam, ad vitandam solitudinem, ad habendum solatium, adjutorium etc. Contra; si finis per se non est honestus; uti esset causa voluptatis; vani honoris, divitiarum cupiditatis etc.

(m*) *Sess. 24. de Sacram. matrim. can. 1.* Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Evangelicæ Legis Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; anathema sit.

(27) Juxta primos dari non potest inter fideles contractus matrimonii sine sacramento: juxta secundos dari potest.

74. *Quænam conditiones requiruntur ad valide matrimonium contrahendum?*

Mutuus consensus, et omnis impedimenti dirimentis absentia.

75. *Quinam debet esse consensus?*

Debet esse verus, plene deliberatus, liber, externus, mutuus, et de presente (28).

76. *Debetne consensus de essentia Sacramenti verbis exprimi?*

Minime, sed sufficit, ut sit signis expressus; uti habetur ex cap. *Cum apud sedem* 23. et cap. *Tuæ* 25. de sponsal. ubi decernitur, mutos et surdos legitime posse matrimonium contrahere. Valentes loqui utrum peccent graviter vel leviter matrimonium per signa contrahentes, quæstio est.

77. *Sufficitne taciturnitas?*

Nequaquam; quia sumus in præjudicialibus, et onerosis.

78. *Quid si parentes respondent coram filiis interne consentientibus?*

Juxta aliquos valet matrimonium, argumento deducto a sponsalibus.

79. *Requiriturne parentum consensus ad valorem matrimonii?*

Minime, uti declaravit Trid. cit. sess. 24. cap. 1. (*)

80. *Valetne matrimonium per procuratorem celebratum, et utrum sit Sacramentum?*

Valet, habitis conditionibus, uti habetur in cap. *Procurator* ult. de Procurat. in 6. et alibi; Christus enim matrimonium ad Sa-

---

(28) Qui simulate seu ficte contrahit matrimonium, nulliter contrahit: peccat graviter contra Religionem, quia nullum reddit sacramentum, et contra justitiam ob injuriam illatam alteri contrahenti; ad quam tollendam debet (posthabita contraria opinione) per novum verum consensum matrimonium convalidare: præsertim si nullo alio modo possit damna reparare alteri ex hac deceptione illata. Excipe 1. si puella virginem se finxit: 2. si ex tali matrimonio timeantur rixæ, discordiæ, infelices exitus, scandalum etc. 3. si deceptor sit conditionis longe majoris: 4. si aliud validum sit contractum matrimonium: 5. si deceptus post deceptionis cognitionem damni injuriæve compensationem acceperit, vel injuriam remiserit: in expositis casibus non tenetur deceptor matrimonium convalidare.

(*) Ex cod. noviss. art. 163. et sequent. filius ante annos 25. completos, et filia ante annos 21. completos suæ ætatis nequeunt matrimonium contrahere sine consensu patris (vel avi paterni in defectu patris) et matris: post hanc ætatem actu respectus consilium debent petere a patre (vel avo) et matre.

cramentum elevans, non immutavit in eo contractus naturam; quare potest, sicut alii contractus, per procuratorem celebrari (29). Utrum vero sit sacramentum, dissidium est: probabilius videtur esse sacramentum in contrahente præsente; nihil enim in eo deest ad sacramentum necessarium: at non in mandante, ex eo quod non dantur sacramenta per alium, neque absentibus.

81. *Quænam sunt requisitæ conditiones?*

Sequentes: 1. ut procurator habeat speciale mandatum: 2. ut sit de determinata persona: 3. ut non possit procurator alium substituere, nisi de mandantis expressa licentia: 4. ut mandatum non sit revocatum (ne mentaliter quidem, aut tacite) ante matrimonii contractionem, quamvis mandatario non innotuerit revocatio: 5. denique ut non excedat mandatarius fines substantiales mandati (n*). * De jure vero nostræ Ecclesiæ ad liceitatem requiritur, ut causa contrahendi per procuratorem sit cognita et approbata ab Ordinario, vel ejus Vicario (o✻).

82. *In quam pœnam incidunt Parochi matrimonio assistentes per procuratorem contracto absque cognitione et approbatione Ordinarii, vel ejus Vicarii?*

In suspensionem a Sacramentis ministrandis ferendæ sententiæ, et alias pœnas arbitrio Ordinarii, uti habetur ex nostræ Synod. parte 2. cap. 9. num. 14.*

83. *Valetne matrimonium, si mandans ante ejus contractionem fiat amens?*

Quæstio est: sed probabilius non valet; tum quia mandans non est in statu, ne habituali quidem, dandi consensum; tum quia altera pars non intendit contrahere cum amente.

---

(29) Sic validum est matrimonium per litteras, vel per nuncium, *l. 5. D. de ritu nuptiar. et ex l. 4. §. 1. D. de sponsal.*

(n) *Ex cit. cop.* Procurator, *et aliunde.*

(*) Nec valet dicere, quod in aliis contractibus per procuratorem revocatio debet procuratori innotescere, aliter valent contractus ab eo initi; quia in matrimonio requiritur consensus de præsenti, qui non potest a jure suppleri, sicuti in aliis contractibus.

(o) *Synod. Pignatell. part. 2. cap. 9. num. 14.*

(✻) In hoc matrimonio debet Parochus interrogare procuratorem: *Vis in uxorem N. N. nomine N. N.?* feminam vero: *Vis in maritum N. N. mediante præsenti suo procuratore?* et vice versa, si procurator sit pro femina.

84. Requiriturne, ut sit sexus diversi procurator, ac alius contrahens?

Minime; procurator enim est simplex instrumentum mandantis ad consensum exprimendum.

85. Peccatne procurator matrimonio assistens in statu lethali?

Peccat tantum venialiter ob parvam irreverentiam sacramento illatam; quia non est ipse contrahens, sed contrahentis instrumentum.

86. Valetne matrimonium cum adjectione temporis celebratum?

Si tempus est appositum pro duratione matrimonii, non valet, cum hoc sit contra bonum matrimonii substantiale: si vero tempus est appositum pro inceptione obligationis, matrimonium est suspensum, valet adveniente tempore (30).

87. Quænam sunt bona substantialia matrimonii?

Tria sunt, bonum nempe Sacramenti, idest indissolubilitas; bonum prolis, scilicet susceptio et naturalis educatio prolis; et bonum fidei, ut nempe servetur fides conjugalis (p).

88. Conditio bonis matrimonii substantialibus opposita debetne esse in pactum deducta, ut matrimonium sit nullum?

Conditio opposita bono Sacramenti sufficit, ut sit tantum in mente; quia afficit consensum: nam cum esse nequeat matrimonium sine perpetuitate, qui vult illud ad tempus durare, non vult verum matrimonium. Aliæ duæ conditiones debent in pactum deduci; quia hujusmodi conditiones esse possunt cum matrimonio: quare qui sub hisce conditionibus intendit contrahere, vult verum matrimonium; proindeque non sufficit illas haberi tantum in mente, ut matrimonium sit nullum (31).

---

(30) An valeat matrimonium sub conditione initum; relege sis dicta in IX. tract. num. 49. et sequent.

(p) *D. August. lib. 9. de Genesi cap. 7. Concil. Florent in decr. union.*

(31) Conditio *Si es virgo* si est verificanda per experimentum a matronis fide dignis, est honesta: si vero verificanda est per copulam, aut nullus sit designatus modus eam comprobandi, tunc est turpis, quare rejicienda: ita declaravit Rota Romana die 20. Junii 1717.

Utrum valeat matrimonium sub conditione perpetuæ continentiæ, quæstio est. At valet, si contrahitur sola intentione, seu animo servandi continentiam, uti dicitur de voto castitatis num. 99.

89. *Quale matrimonium valet, si sit cum duobus sub conditione celebratum?*

Valet illud, cujus conditio prius impletur; quoniam per conditionem adimpletam fit absolutum. Quod si ambæ conditiones eodem momento impleantur, vel sit sub eadem conditione cum duobus initum matrimonium, neutrum est validum; nam incertitudo vitiat actum.

90. *Peccatne, qui matrimonium sub conditione contrahit?*

Peccat, et graviter, si hoc faciat absque gravi necessitate; gravem enim irreverentiam affert Sacramento.

91. *Valetne matrimonium celebratum sub causa motiva non existente?*

Maxime; quia matrimonium secum habet indivisam veram causam motivam, scilicet susceptionem et educationem prolis etc. quare omnes aliæ causæ a contrahentibus appositæ, velut impulsivæ tantum sunt habendæ. Intelligitur, modo alia non sit contrahentium intentio.

92. *An sit validum matrimonium sub modo initum?*

Maxime, sive modus sit honestus, sive turpis; uti est dictum in tract. IX. num. 53. At probabilius est nullum, si modus sit contra bona matrimonii substantialia; quia est contra contractus substantiam.

CAPUT II.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIUM IMPEDIENTIBUS.

93. Q*uotuplicis sunt generis matrimonii impedimenta?*

Duplicis generis, aut impedientia, aut dirimentia: impedientia sunt, quæ matrimonium validum reddunt illicitum: dirimentia sunt illa, quæ matrimonium et illicitum et invalidum reddunt.

94. *Quot sunt impedimenta impedientia?*

Præcipua (32) sunt sequentia: *Sacratum Tempus*, *Vetitum*, *Sponsalia*, *Votum*.

(32) Dixi *præcipua;* nam præter ista matrimonium quoque reddunt illicitum 1.° clandestinitas, ubi non est Tridentinum receptum, ut infra dicetur: 2.° omissio pro-

95. *Quid venit per* Sacratum Tempus?

Tempus ab adventu Domini ad diem Epiphaniæ, et a feria quarta Cinerum ad octavam Paschatis inclusive: in hoc tempore prohibetur solemnitas nuptiarum (*q* 33); non vero matrimonium contrahere.

96. *Quid venit per* Vetitum?

Prohibitio sive generalis, sive particularis Ecclesiæ, vel Episcopi, vel Parochi, ex justa et rationabili causa; de matrimonii contractione (*r*).

67. *Quid denotatur per* Sponsalia?

Sponsalia cum alio rite celebrata (*s* 34).

98. *Quid per* Votum?

Venit votum simplex castitatis, votum ingrediendi religionem, aut suscipiendi sacros ordines, aut non nubendi (*t*).

99. *Qui ligatus voto simplici castitatis matrimonium contrahit, utrum peccet contrahendo, et possit petere ac reddere?*

Iste peccat contrahendo; quia se ponit in statu non servandi votum: intra bimestre matrimonio non adhuc consummato, non potest petere ad servandum votum; neque reddere, quoniam altera pars jus non habet petendi: post bimestre, aut matrimonio ante bimestre consummato, tenetur reddere; aliter læderet jus conjugis; at non potest petere ad votum servandum ex ea parte, qua potest (*u* 35).

---

clamationum, ut infra: 3.° omissio solemnis benedictionis in illis locis, in quibus viget: 4.° si Catholicus contrahit cum hæretica, vel contra, in casibus non permissis, et generice quicquid matrimonium reddit illicitum dici potest impedimentum impediens.

(*q*) *Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 10.*

(33) * In nostra diœcesi ex consuetudine requiritur Ordinarii licentia ad matrimonium etiam sine solemnitate expresso tempore contrahendum. *

(*r*) *Argum. ex cap. 1. 2. et 3. de matrim. contr. contra interdic. Eccles. et cap. ult. de clandest. desponsat.*

(*s*) *Argum. ex cap.* Ex Litteris *10. de sponsal. et cap.* Duobus modis *1. de sponsa duor.*

(34) Aliquando sponsalia sunt impedimentum dirimens, ut infra dicetur.

(*t*) *Ex variis locis. jur. canon.* (*u*) *Ex plur. canon.*

(35) Aliquando non potest reddere, cum nempe habet justam causam negandi debitum, ut puta facto divortio etc. Et aliquando potest petere, scilicet cum altera pars esset nimis ad petendum verecunda, vel esset in periculo incontinentiæ; tunc enim potius reddit, quam petit: nonnulli excipiunt, si pars verecunda præstiterit licentiam

100. Qui matrimonium contrahit cum voto ingrediendi religionem, utrum peccet, et ad votum teneatur?

Secundum aliquos peccat contrahendo; quia periculo se exponit violandi votum. Tenetur iste ante matrimonii consummationem religionem ingredi, ad votum servandum sine conjugis injuria; quare peccat pro prima vice consummando, quia se reddit ad votum impotentem: sed post consummationem potest reddere ac petere; quoniam durante matrimonio votum fit impossibile: attamen post conjugis mortem, aut facto divortio perpetuo, tenetur religionem ingredi ad votum servandum.

101. An peccet, et ad votum teneatur, qui matrimonium init cum voto suscipiendi sacros ordines?

Peccat contrahendo; fit enim inhabilis ad votum: potest tamen petere et reddere, cum non sit contra votum.

102. Peccatne, qui ligatus voto non nubendi matrimonium contrahit?

Maxime; quia violat votum: sed post contractionem potest consummare, petere, et reddere, cum non sit contra votum (36).

103. Quinam possint in hisce impedimentis dispensare?

In sacrato tempore, et vetito potest Episcopus, et ipse Parochus in vetito ab ipso facto: in voto potest, qui facultatem habet talia vota dispensandi: in sponsalibus nemo, cum sit impedimentum de jure naturæ: at possunt a judice ecclesiastico justa de causa sponsalia dissolvi, et sic erit matrimonium licitum cum alio.

---

vovendi. Contra aliqui tenent posse quoque voto ligatum petere, si ipse sit in periculo incontinentiæ; præsertim si commode non posset haberi dispensatio, et periculum esset in mora.

Quæ diximus de eo, qui voto ligatus contrahit matrimonium, eadem teneantur de eo, qui post matrimonium emittit votum.

Communiter tenent DD. jure ordinario posse Episcopos consuetudinis vigore et communis praxis cum conjuge dispensare ad petendum debitum, sive ante sive post matrimonium sit votum emissum; etsi votum sit reservatum; etsi ambo conjuges sint tali voto adstricti, dummodo non fuerit ab utroque conjuge votum emissum cum reciproca conventione, et expressa renunciatione reciproci juris. Idem dicendum de Mendicantibus Confessariis.

(36) Omnia expressa vota reddunt sponsalia nulla; non valet enim promissio de re illicita.

CAPUT III.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIUM DIRIMENTIBUS.

104. *Quot sunt impedimenta dirimentia?*

Sunt quindecim sequentibus versiculis comprehensa:
Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus Disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Ætas, Affinis, si Clandestinus, et Impos,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

105. *Quo jure sunt hujusmodi impedimenta?*

Quinque sunt de jure naturæ, quæ continentur in hoc versiculo: *Errans, Invitus, Conjunctus, Junctus, et Impos*, scilicet error circa personam, vis absoluta, consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, vinculum matrimonii existentis, et impotentia antecedens ac perpetua. Alia sunt de jure positivo veteri, excepta clandestinitate, et raptu, quæ sunt de jure novissimo Tridentini.

106. *Habetne Ecclesia potestatem apponendi impedimenta dirimentia?*

Maxime, uti patet ex Tridentino (x*).

107. *Quot peccata committit, qui matrimonium attentat contrahere cum aliquo impedimento dirimente?*

Iste peccat mortaliter 1. contra præceptum Ecclesiæ: 2. contra religionem ob injuriam Sacramento illatam: 3. contra justitiam; quia decipit compartem stantem in bona fide: 4. juxta aliquos contra castitatem affective.

108. *An iste matrimonium consummando aliud committat speciale peccatum, præter peccatum contra castitatem?*

Si impedimentum sit constitutum ob copulæ indecentiam, quatenus copula est contra aliquam virtutem, uti est in voto, aliud

---

(x*) *Sess. 24. de Sacram. matrim. can. 4.* Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia; vel in iis constituendis errasse; anathema sit.

committit contra istam virtutem speciale peccatum : aliter peccat tantum contra castitatem.

109. Adestne aliqua pœna contra matrimonium contrahentes cum aliquo impedimento dirimente ?

Adest excomm. nemini reservata in sequentibus casibus : 1. si duo consanguinei vel affines usque ad quartum gradum scienter matrimonium celebrant : 2. si quis cum moniali scienter contrahit : 3. si in sacris constitutus matrimonium celebrat : 4. si religiosus, vel Religiosa matrimonium celebrant (*y* 37).

SECTIO I.

DE IMPEDIMENTO ERRORIS, ET CONDITIONIS.

110. Valetne matrimonium per errorem celebratum ?

Si error est circa personam, matrimonium est nullum jure naturæ, sive error sit antecedens, sive concomitans, sive consequens; quia deficit consensus. Si error vero est circa qualitatem, matrimonium est validum ; adest enim sufficiens consensus : at si qualitas in personam redundet, vel sit apposita uti conditio *sine qua non*, etiam est nullum matrimonium ob consensus defectum (*z* 38).

111. Quodnam est impedimentum Conditionis ?

Est servitus ignorata ; quando nempe liber ex ignorantia celebrat matrimonium cum serva, vel libera cum servo (*a* 39).

(*y*) *Clement.* Eos qui *un. de consaguinit. et affinit.*

(37) Nota discrimen inter hanc excommunicationem, et illam, quam exposuimus in tract. IV. num. 205. pro incestu.

(*z*) *Ex variis utriusq. jur. loc.* [*art.154.*]

(38) At si quis intendit contrahere cum præsenti, quæcumque illa sit, valet matrimonium ; quia adest consensus cum illa.

Quid, et quotuplex sit error, jam dictum est in tract. IX. num. 6. et 7.

Idem dicendum de matrimonio per dolum inito. At tenetur contrahens, qui dolo egit, matrimonium convalidare, si velit pars decepta, *ex cap. 1. de eo, qui duxit etc.*

(*a*) *Cap.* Ad nostram *4. de conjug. servor. et alibi.*

(39) Vanum est de hoc impedimento disserere : servitus enim inter Christianos jam desiit.

SECTIO II.

DE IMPEDIMENTO VOTI, ET ORDINIS.

112. *Ex quonam voto oritur impedimentum dirimens?*

Ex voto solemni in professione religiosa, vel in ordine sacro (*b* * *40*).

113. *Hæc duo vota dirimuntne matrimonium eodem modo?*

Minime; nam professio religiosa dirimit matrimonium non solum contrahendum, sed etiam ratum non consummatum, ut infra dicetur: votum ordinis sacri dirimit tantum matrimonium contrahendum (*c* **).

114. *Quid dicendum de impedimento ordinis?*

Ordo sacer matrimonium dirimit eodem modo, quo dictum est de voto ordinis; nam Clerici in sacris constituti inhabiles fuerunt ab Ecclesia redditi ad matrimonium valide contrahendum (*d*).

115. *Potestne aliquando vir post matrimonium sacros ordines suscipere, vel post consummatum religionem profiteri?*

Potest aut ex licentia uxoris, aut ratione justi divortii, prout infra dicetur.

116. *Quid requiritur, ut maritus possit recipere sacros ordines, aut religionem profiteri ex licentia uxoris?*

Requiritur 1. ut licentia sit omnino libera, et expressa: 2. ut

---

(*b*) *Cap.* Quod votum *un. de voto et voti redemt. in 6. aliubique.*

(*) Quod est a Trid. confirmatum sess. 24. can. 9. *Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumq. validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto . . . . . anathema sit.*

(*40*) Non desunt docentes (at minus probabiliter) in ordine sacro non adesse votum, sed præceptum Ecclesiæ de servanda puritate: sed hoc præceptum eandem secum habet obligationem, et effectum.

(*c* **) *Cap.* Verum *2. et* Ex parte *14. de convers. conjugat. extravag.* Antiquæ *un. de voto, et voti redemt. Trid. loc. cit. can. 6.* Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.

Hujus differentiæ ratio est, quia per professionem fit sui ipsius perfectissima traditio; qualis perfectissima traditio non habetur in ordine. Sed vera ratio est Ecclesiæ institutio.

(*d*) *Cap.* De Diacono *5. et cap.* Ex litterarum *2. qui cler. vel voventes, Trid. loc. cit. et alibi.*

uxor voveat perpetuam castitatem: 3. ut desit periculum incontinentiæ (e 41).

117. Num uxor, quæ viro dat licentiam suscipiendi ordinem, teneatur religionem ingredi?

Probabilius non tenetur; cum id nullo sit jure præceptum: sufficit ut voveat castitatem (f). Omnino tamen tenetur, si vir fiat Episcopus, ob decentiam Episcopatus (g).

118. An teneatur religionem ingredi, si viro det licentiam profitendi?

Maxime, si est juvenis; minime si est senex et sterilis: sic enim est in jure statutum (h 42).

119. In quam pœnam incidit, qui post matrimonium extra allatos casus suscipit sacros ordines?

In irregularitatem, quæ durat etiam post mortem uxoris (i).

120. In quam pœnam incidit, qui in sacris constitutus celebrat matrimonium?

Præter excomm. ex Clement. incidit in irregularitatem ob bigamiam similitudinariam consummando matrimonium (k).

121. Qui post matrimonium ratum suscipit ordinem sacrum, teneturne religionem profiteri?

Quæstio est: alii affirmant; sic enim sine conjugis injuria ordinem servat: alii negant; quia plus est professio, quam ordo.

(e) *Cap.* Conjugatus 5. *et* Consuluit *10. de convers. conjugat. alibique.*

(41) Ultimæ duæ conditiones ad liceitatem potius attinent.

(f) *Idque clare probatur ex cap.* Conjugatus *cit.*

(g) *Cap.* Sane *6. eod. tit.* (h) *Cap.* Cum sis *4. et* Ad apostolicam *13. eod. tit.*

(42) Dictum de uxore veniam dante viro ad profitendum pariter est dicendum de viro, qui uxori dat veniam profitendi.

Jure romano vir est juvenis usquedum pervenerit ad annum LX. mulier usque ad annum L. Sed hac in re Episcopus potius, attentis omnibus circumstantiis, arbitrari debet, quando conjuges sint revera senes et steriles: vide Lucium Ferrarium verbo *Conjuges.* Varias in hac materia dispensationes concessas lege sis apud Bened. XIV. de Syn. lib. 13. cap. 12. num. 16. et Instit. 83.

At si mulier integræ famæ et opinionis existat, ita ut nulla de ea habeatur suspicio, voto continentiæ celebrato, quamvis juvenis, non est compellenda monasterium intrare, *cap. 8. et 18. de convers. conjugat.* Idem dicendum est de viro.

(i) *Extravag.* Antiquæ *un. de voto et voti redempt.*

(k) *Cap.* Si qui Clericorum *1. de Cleric. conjugat. et alibi.*

122. *Committitne fornicationem, qui profitèns, vel ordinem sacrum suscipiens post matrimonium ex justa causa, postea uxorem carnaliter cognoscit?*

Minime; quia accedit ad suam: committit tamen sacrilegium ob voti violationem (43).

123. *An Græci ordine sacro initiati possint matrimonium contrahere?*

Minime, et matrimonium esset nullum; ipsi enim, si votum non admiserunt in ordine sacro, admiserunt tamen ordinem sacrum esse impedimentum matrimonium dirimens (44).

124. *Valetne professio post matrimonii consummationem emissa sine conjugis licentia, et sine divortio perpetuo?*

Minime; et habetur ex cap. *Quidam* 3. et cap. *Placet* 12. de convers. conjugator.

125. *Valetne saltem uti votum simplex castitatis?*

Minime (etsi alii contrarium affirment); quoniam corruente principali, accessorium etiam corruit. Excipitur tamen, si profitens ad castitatem intendit se obligare independenter a professione.

126. *Danturne vota simplicia matrimonium dirimentia?*

Dantur duo: 1. Votum simplex castitatis, quod Jesuitæ emittunt ante solemnem professionem post duos annos probationis (*l*). 2. Juxta plurimos votum castitatis a muliere emissum, quæ viro dedit licentiam recipiendi sacros ordines (*m*).

SECTIO III.

DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS.

127. Q*Uotuplex est Cognatio?*

Triplex, Carnalis nempe, Legalis, et Spiritualis.

---

(43) Alia ad rem extant exposita in tract. XII. num. 88. et sequent.

(44) Ut possint Græci post matrimonium sacrum ordinem recipere, uxor debet esse una, et virgo ante matrimonium.

(*l*) *Ex bulla Greg. XIII.* Ascendente Domino.

(*m*) *Ex can.* Quia sunt 10. *distinct.* 28. *et aliunde.*

§. I. *De Cognatione Carnali.*

128. Quid est Cognatio Carnalis?

Cognatio carnalis, seu consanguinitas est vinculum personarum ab eodem stipite carnali propagatione descendentium, vel quarum una ab altera descendit. (*) Cognatio constat lineis; lineæ vero gradus habent suos.

129. Quid est stipes?

Est illa persona, a qua aliæ per carnalem propagationem descendunt.

130. Quid est linea?

Est series ordinata personarum, quæ ab eodem stipite descendunt (*n***).

131. Quotuplex est?

Multiplex est: et quidem alia est recta, alia transversalis, seu obliqua: recta est illa, quæ comprehendit genitores, et genitos; seu series personarum, quarum una ab altera descendit: transversalis est, quæ ex latere conjunctos complectitur, seu series personarum a communi stipite descendentium, quarum una ab altera non descendit (*o*). Linea recta in ascendentalem, et descendentalem distinguitur: prima ligat aliquam personam cum illis, a quibus ipsa descendit; secunda est, quæ stipitem ligat cum descendentibus ab ipso (*p*): nempe prima habetur ascendendo a genitis ad genitores; secunda habetur descendendo a genitoribus ad genitos. Linea transversalis vel est æqualis, vel inæqualis: prima est, quæ habetur inter personas æqualiter distantes a communi stipite: secun-

---

(*) *Cognatio* ab eo dici putatur, quasi una communisque natio, seu ab eodem ortus et progenies, *l. 1. §. D. unde cognati, et l. 4. §. 1. D. de gradibus etc.* Dicitur *carnalis*, quoniam habetur per carnis propagationem: vocatur etiam *Consanguinitas*, quasi ab eodem sanguine nativitas. *Naturalis* est, vel *Civilis* seu *legitima*, vel *naturalis* et *civilis* simul: *naturalis* sola natura consistit, sive est carnalis propagatio extra justas nuptias: *civilis*, quæ per adoptionem habetur, de qua infra: *naturalis* et *civilis* simul, quæ cum justis nuptiis contractis copulatur, *cit. l. 4. §. 2.*

(*n***) *Cavall. instit. jur. rom. lib. 1. tit. 10. §. 7.* A Cod. noviss. part. 1. art. 657. definitur *series graduum.*

(o) *Cavall. ibid.* [*art.cit.*] (*p*) [*art.cit.*]

da habetur inter personas a communi stipite inæqualiter distantes.

132. Quid est gradus?

Gradus est distantia cognatorum (*q*).

133. Quænam sunt regulæ ad gradus computandos?

Jure civili una et perpetua est regula ad gradus computandos, tam in linea recta, quam in transversa, nempe *Generata persona gradum adjicit* (*r*): seu tot sunt gradus, quot sunt generationes. Jure vero canonico tres regulæ assignantur (*s*): una pro linea recta, nempe *Tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempto stipite;* hæc est eadem ac regula de jure civili: altera pro linea transversali æquali est *Collaterales tot gradibus distant inter se, quot a communi stipite absunt:* tertia regula pro linea transversali inæquali est *Collaterales tot gradibus distant inter, quot remotior distat a communi stipite.*

134. Usque ad quem gradum extenditur hoc impedimentum dirimens?

In linea recta usque ad infinitum (*t*): in linea transversali ad quartum usque gradum inclusive (*u**).

135. Est de jure naturæ, an de jure positivo hujusmodi impedimentum?

In primo gradu lineæ rectæ juxta omnes est de jure naturæ (*x*); in aliis gradibus lineæ rectæ quæstio est. In primo gradu lineæ obliquæ quæstio est; in aliis gradibus lineæ obliquæ juxta omnes est de jure positivo (*y*).

(*q*) *L.* Jurisconsultus *10.* §. *10. D. de gradib. etc.*

(*r*) §. Hactenus *7. Instit. de gradib. cognat. l. cit.* §. *9. et sequent.* [*art.656.658. et 659.*]

(*s*) *D. Thom. in suppl. q. 54. art. 1.*

(*t*) *Ex Nicolao I. ad consulta Bulgarorum cap. 39. et aliubi, ex* [*art.258.*]

(*u*) *Cap.* Non debet *8. et cap.* Vir *ult. de consang. et affinit.*

(*) Olim de jure can. extendebatur usque ad septimum gradum.

(*x*) *L.* Adoptivus *14.* §. *2. D. de ritu nuptiar.*

(*y*) *Arg. cap.* Gaudemus *8. de divortiis, Trid. sess. 24. de reformat. matrim. cap. 5.*

ESPOSITIO

SCHEMATIS CONSANGUINITATIS, SEU COGNATIONIS CARNALIS.


136. Cum magis veritas oculata fide, quam per aures animis infigatur, ideo necessarium duxi, post traditas regulas ad gradus in cognatione carnali, tam de jure canonico tam de jure civili, computandos, eos præsenti schemate describi; quatenus possint tyrones et auribus et oculorum inspectione perfectissimam graduum notitiam facillime adipisci. Ita ictu oculi cuique fas est cognoscere, inter quos prohibeantur nuptiæ; quique sint ad successionem vocati. Ad hoc juxta utriusque juris regulas gradus expressos invenies: eo tamen discrimine, ut in matrimonio, quod attinet ad impedimentum ecclesiasticum, gradus servetur de jure canonico; in successione gradus de jure civili, *can.* 2. §. 1. *caus.* 35. *q.* 5.

137. Ne verba et cellulæ numero longius progrederentur, solos viros in schemate plerumque adnotavi. At ubi sunt viri, mulieres quoque discriptæ intelligantur; et cum natis ex viro veniant etiam nati ex muliere: v. c. in secunda serie ubi est *filius fratris*, intelligitur etiam filia fratris, filius et filia sororis; et sic de ceteris: nam, sint mares vel fœminæ, nati ex mare vel ex fœmina, omnes sunt ejusdem parentelæ et gradus etc. *l.* 3. §. 2. *D. de gradibus etc.*

138. Non in omnibus lineis ad duodecimum de jure civili gradum perveni: tum quia ultra expositos fere gradus rerum natura cognatorum vitam consistere non patitur; tum quia in jure nomina desunt ad personas ulterioris gradus designandas, *ex l.* 1. *cit. l.* 2. *et* 8. *D. eod. et aliunde*. Quod si pro successionibus præfinitos progredi gradus aliquando contingat, tunc ultra in recto protrahantur cellulæ in lineis, et pro quaque generatione alius in schemate notis adjiciatur gradus, sicque ulteriores gradus numerare valeamus. V. G. in prima serie post trinepotem habebimus trinepotis filium in 7. et 7. gradu, trinepotis nepotem in

S GUINITATIS.

In qualit designat de jure canonico;
jure civili.



8. et 8. gradu etc. supra ante tritavum habebimus tritavi patrem in 7. et 7. gradu, tritavi avum in 8. et 8. gradu etc. In secunda serie post fratris trinepotem erit filius trinepotis fratris in 8. et 9. gradu, nepos trinepotis fratris in 9. et 10. gradu etc. supra erit frater patris tritavi in 8. et 9. gradu, frater avi tritavi in 9. et 10. gradu etc. Item fiet in aliis lineis.

139. Quoties quæritur, quanto gradu quæque persona sit, ab eo incipiendum est, cujus de cognatione quærimus, *l. 10. §. 9. D. de gradibus etc.* Quare persona, de qua quærimus, posita intelligatur in cellula, quæ est in medio primæ schematis seriei, in illa nempe cellula, in qua extat *Ille de quo quæritur*; et per alias cellulas discurrendo (sive sursum, sive deorsum, sive in transversum, prout agitur de linea vel ascendentali, vel descendentali, vel laterali) cellula inveniatur, in qua notatur alia persona huic cognata: et ex numeris ibi signatis gradus habebis.

140. Ad uberiorem notitiam refert singula cognatorum nomina describere, sicut erui ex Instit. tit. de gradibus cognat. ex l. 1. 2. 3. et 10. D. de gradibus etc. ex can. 6. caus. 35. q. 5. necnon aliunde.

141. Nomina cognatorum in linea recta extant expressa in prima serie schematis.

142. *Naturales* filii sunt nati ex viro et muliere extra matrimonium, sic tamen solutis, ut posset inter eos legitimum constare matrimonium: *Incestuosi* vocantur nati ex incestu: *Adulterini* nati ex adulterio: *Sacrilegi* ex sacrilegio venereo: *Vulgo quæsiti* seu *Spurii* nati ex incerto patre; vel patrem habent eum, quem habere non licet: *Manseres* de scorto nati. Omnes isti sunt illegitimi.

143. *Gemelli* sunt nati in eodem partu: *Germani* filii ejusdem patris et matris: *Consanguinei* filii ejusdem patris, et diversæ matris: *Uterini* filii ejusdem matris, ac diversi patris.

144. *Patrueles* (fratres vel sorores) vocantur filii duorum fratrum: *Consobrini* filii duarum sororum: *Amitini* filii fratris, et filii sororis: sed fere vulgus istos omnes communi appellatione *Consobrinos* (italice *Cugini*) vocat.

145. *Sobrini* vocantur, qui ex fratribus vel sororibus patruelibus, aut consobrinis, aut amitinis propagantur.

146. *Patruus* est patris frater: *Amita* patris soror: *Avunculus*

matris frater: *Matertera* matris soror. Patruus et Avunculus græce promiscue appellatur Θεῖος (italice *Zio paterno* et *Zio materno*): Amita et Matertera Θεία (*Zia paterna* et *Zia materna*).

147. Patruus magnus dicitur avi frater: *Amita magna* avi soror: *Avunculus magnus* aviæ frater: *Matertera magna* aviæ soror. Sed alii *Patruum magnum* vocant fratrem avi vel aviæ paternæ: *Amitam magnam* sororem avi vel aviæ paternæ: *Avunculum magnum* fratrem avi vel aviæ maternæ: *Materteram magnam* sororem avi vel aviæ maternæ: et sic deinceps de aliis. Quod sane legis dictioni haud satis consonat.

148. Propatruus est proavi frater: *Proamita* proavi soror: *Proavunculus* proaviæ frater: et *Promatertera* proaviæ soror. Hi vocantur etiam *Patruus major*, *Amita major etc.*

149. Propior sobrino, vel *Propior sobrina* sunt patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ filius vel filia.

150. Abpatruus appellatur abavi frater: *Abamita* abavi soror: *Abavunculus* abaviæ frater: et *Abmatertera* abaviæ soror: qui dicuntur etiam *Patruus maximus*, *Amita maxima etc.*

151. Adpatruus et *Adamita* vocantur adavi frater et soror: *Adavunculus* et *Admatertera* adaviæ frater et soror.

152. Tripatruus est tritavi frater: *Triamita* tritavi soror: *Tritavunculus* tritaviæ frater: *Trimatertera* tritaviæ soror.

153. Hucusque cognatorum habemus nomina: alios cognatos nomine proximi gradus recte appellabis, ut fas est in schemate videri. E. C. natus ex fratre proprium non habet nomen: eum vocabis filium fratris: istius filius nepos fratris dicetur: et sic de ceteris.

§. II. *De Cognatione Legali.*

154. Quid est Cognatio Legalis?

Est propinquitas personarum orta ex adoptione (z).

155. Quid est adoptio?

Est actio solemnis, qua qui natura filius non est, in filii locum adsciscitur (a): seu legitima assumptio extraneæ personæ in filium.

(z) *Ex var. ll. et canon.* (a) *Cavall. inst. jur. rom. lib. 1. tit. 11. §. 1.*

156. Quænam conditiones in adoptione sunt requisitæ?

Præcipuæ sunt sequentes: 1. ut adoptans (sive mas, sive femina) sit in ætate ultra annos quinquaginta. At potest quis infra quinquaginta annos suæ ætatis adoptare aliquem, si ei adoptans decursu sex annorum subsidia præstiterit in ejus minore ætate, et de eo continuas tenuerit curas: idem dicendum si adoptatus adoptantis vitam servaverit aut in bello, aut incendio, aut ex aquis. 2. Adoptans tempore adoptionis debet esse absque liberis, et descendentibus legitimis. 3. Adoptans debet esse adoptato major saltem quindecim annorum: sed hoc non requiritur, si adoptatus adoptantis vitam servaverit in bello, vel ex incendio, vel ex aquis. 4. Si adoptans est conjugatus, non potest aliquem adoptare sine consensu alterius conjugis. 5. Denique si adoptatus vigintiquinque annos completos non habeat, pro adoptione requiritur ejus patris et matris consensus (aut parentis superstitis, si alter sit mortuus): si vero annos vigintiquinque compleverit, parentum debet consilium petere. In defectu genitorum habenda est approbatio Consilii-familias, quando adoptandus XXI. annum non compleverit (*b*).

157. Potestne quis a pluribus adoptari?

Minime, nisi a duobus conjugibus (*c* *).

158. Quinam sunt adoptionis effectus?

Sunt sequentes: 1. adoptatus adoptantis cognomen proprio adjungit. 2. Inter adoptantem et adoptatum reciproca contrahitur obligatio de alimentis præstandis, sicuti adest inter filios et parentes. 3. Adoptatus, tanquam filius ex matrimonio natus, jus habet in successione adoptantis, (non vero in successione propinquorum adoptantis) quamvis alii adsint adoptantis filii legitimi, et naturales post adoptionem nati. 4. Si adoptatus præmoriatur absque legitimis descendentibus, res ab adoptante datæ vel ex ejus hereditate proventæ, si extant in specie, ad adoptantem ejusve descendentes redibunt; cum obligatione tamen contribuendi ad debitorum solutionem, et sine præjudicio jurium tertii. Alia bona adoptati ad ejus propinquos pertinent: sicuti etiam bona superius ex-

(*b*) [*art.266. et sequent.*] (*c*) [*art.267.*]

(*) Quænam legalis forma servanda sit in adoptione, legi potest in cod. noviss. part. 1. lib. 1. tit. 8. cap. 2.

pressa, quando non adsint adoptantis descendentes. At si post mortem adoptati, ejus filii aut descendentes sine prole moriantur, adoptans (non vero ejus descendentes, aut heredes) etiam succedit in omnibus a se datis (*d*). 5. Denique impedimentum matrimonium dirimens (*A*).

159. Inter quas personas contrahitur hujusmodi impedimentum?

Jure romano contrahitur 1. inter adoptantem, et adoptatum, adoptatique descendentes legitimos, si sint sub ejus patria potestate tempore adoptionis: 2. inter adoptantem, et conjugem adoptati; inter adoptatum, et adoptantis conjugem: 3. inter adoptatum adoptantisque filios naturales ac legitimos, durante adoptione, et patra potestate (*e* 45).

(*d*) [*art. 271. et sequent.*]

(*A*) Jure romano duæ erant adoptionis species, quarum una dicebatur *adrogatio*, altera simpliciter *adoptio*, *§. 1. Inst. de adoption. et l. 1. §. 1. D. eod.* Adrogatio erat actus, quo homo sui juris in patriam alterius potestatem auctoritate principis redigebatur, *§. 1. Inst. l. 1. §. 1. et l. 2. pr. D. eod.* Adoptio vero erat actio legis, qua liberi in patria potestate existentes in filios alterius ex patris voluntate, et imperio magistratus adsciscebantur, *l. 2. pr. l. 3. et l. 4. D. eod.* In utraque adoptione illi tantum poterant adoptare, qui poterant et parentes esse, et liberos in potestate habere. Quare 1.° non poterat adoptare minor majorem natu, ne filius esset patre senior, *§. 4. Inst. eod.* 2.° Adoptans plena pubertate, idest decem et octo annis adoptatum præcedere debebat, *cit. §. 4. et l. 40. §. 1. D. eod.* 3.° Feminæ non poterant adoptare, *§. 10. Inst. et l. 5. C. eod.* nisi in solatium filiorum amissorum ex indulgentia principis, non ut filios in potestate, sed ut heredes haberent, *l. 29. §. 3. D. de inofficioso testam.* 4.° Non poterant adoptare qui domi liberos naturales habebant, vel adhuc filiis procreandis pares erant, nempe sexaginta annis minores, *l. 15. §. 2. l. 17. §. 2. et 3. D. de adoption.* At non vetabantur adoptare qui generare non poterant, veluti spadones, *§. 9. Inst. l. 2. D. eod.* et castrati, *Leonis nov. 26.*

In adrogatione adrogatus cum suis liberis et bonis in adrogatoris potestatem et familiam transibat; quare habebatur uti filiusfamilias adrogatoris, *§. 11. Inst. et l. 40. pr. D. eod.* In simplici adoptione in adoptantis potestatem et familiam adoptatus transibat, si alicui ex adscendentibus, puta avo paterno, vel materno in adoptionem dabatur, *§. 2. Inst. l. 10. pr. C. eod.* At si dabatur non adscendenti, integra manebat patris naturalis potestas, nihilque ad patrem adoptivum transibat: attamen sic adoptatus tamquam suus heres patri adoptanti ab intestato succedebat, *cit. l. 10. §. 1.* Simplex adoptio (nisi erat cum aliquo adscendente) utrum pareret impedimentum dirimens, disputant Theologi.

(*e*) *L.* Adoptivus *14. pr. et §. 1. l.* Per adoptionem *17. D. de ritu nuptiar. et §. 1. ac 2. Inst. de nupt. cap.* Si qua *un. de cognatione legali, can.* Ita diligere *1. et* Per adoptionem *6. caus. 30. q. 3.*

(45) Ex cod. noviss. part. 1. art. 159. et 160. 4.° prohibetur matrimonium 1. inter

§. *III. De Cognationi Spirituali.*

160. Quid est Cognatio Spiritualis?

Est propinquitas personarum orta ex susceptione, vel administratione Baptismatis, aut Confirmationis (*f*).

161. Inter quas personas contrahitur hoc impedimentum.

Inter baptistam, et baptizatum, baptizatique patrem et matrem; inter patrinum, et baptizatum, baptizatique patrem et matrem: idem est de Confirmatione (*g* *).

162. Quænam conditiones requiruntur, ut baptista hanc contrahat spiritualem cognationem?

Duæ; ut ipse sit baptizatus, et revera baptizet.

163. Quænam sunt requisitæ conditiones, ut patrinus cognationem contrahat?

Sunt sequentes: 1. ut ipse sit baptizatus (et confirmatus, si agitur de confirmatione juxta probabiliorem sententiam (*h* 46)): 2. ut teneat infantem in baptismo, in primo baptismo, in baptismo solemni, quidquid aliqui dicant de baptismo privato: 3. ut suscipiat infantem e sacro fonte, vel e manu baptistæ, statim ac est baptizatus; aut eum teneat, dum baptizatur: 4. ut habeat intentionem expressam vel tacitam præstandi munus patrini: 5. ut sit a parentibus, vel ab aliis pueri curam habentibus designatus: 6. denique secundum aliquos ut non adsit error personæ (*i* 47).

---

adoptantem, et adoptatum, adoptatique descendentes: 2. inter adoptantem, et conjugem adoptati; inter adoptatum, et adoptantis conjugem: 3. inter adoptatum et adoptantis filios, quamvis adoptivos.

Benedictus XIV. de Syn. Diœces. lib. 9. cap. 10. n. 15. asserit, quod Nicolaus I. in responso ad Bulgaros hoc approbavit impedimentum a jure civili profectum; quare in omnibus ipsi juri civili standum esse decrevit.

(*f*) *Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 2.* (*g*) *Trid. loc. cit.*

(*) Hæc cognatio inter baptizantem, et baptizatum, inter suscipientem, et susceptum dicitur paternitas: inter baptizantem, vel suscipientem, et baptizati genitores vocatur compaternitas, *cap. 7. de cognat. spiritual.* Idem dicito de confirmatione.

(*h*) *Ex declaratione S. C. Conc. 13. Junii 1654.*

(46) An requiratur, ut suscipiens in baptismate sit etiam confirmatus, quæstio est.

(*i*) *Ex variis jur. can. locis.*

(47) Excluduntur a munere patrini 1. Monachi absque dispensatione, *can. 103.*

164. Si dubitatur de primo baptismate, contrahitne cognationem, qui tenet infantem in secundo baptismate?

Præsumendus contrahere; quia secundus baptismus præsumitur validus: nonnulli excipiunt, si positivum sit dubium.

165. Num cognationem contrahat, qui intentionem habet præstandi munus patrini, sed non contrahendi cognationem?

Maxime, qui enim vult principale, contrahit etiam accessorium; nam cognatio est patrini muneri adnexa ex Ecclesiæ statuto.

166. Si susceptio sit per procuratorem, mandans contrahit cognationem, an mandatarius?

Mandans, quidquid aliqui opinentur; mandatarius enim est simplex mandantis instrumentum (*k 48*).

167. Quot personæ possunt infantem tenere?

Unus, vel una, aut ad summum unus, et una (*l 49*).

168. Quid si plures tangerent?

Quæstio est: aliqui sic distinguunt; si tangunt successive, duo primi tantum contrahunt cognationem; si vero tangunt simul, tunc omnes contrahunt (*m*): alii volunt, duos primos designatos contrahere: alii denique tenent, neminem contrahere; quia adest incertitudo.

169. Sponsus de futuro, qui sponsæ filium baptizat vel tenet, potestne cum ea matrimonium contrahere?

Si baptizat, sive scienter, sive ignoranter, non potest; quo-

---

dist. 4. de consecrat. et probabilius omnes alii Regulares: 2. Moniales, ex decr. S. Congreg. *Mediolanense* 1. Octob. 1677. 3. * Minor 14. annis; irretiti aliqua censura; notorie flagitiosi; Ecclesiastici, et procuratores Monialium sine expressa licentia Ordinarii; et in confirmatione vir non potest feminam tenere, neque femina virum: uti habetur ex nostra Synodo part. 2. cap. 2. num. 3. et cap. 3. num. 3. *

(*k*) *Sac. Congreg. Conc.* in Tridentina *16. Maii 1630.* in Theatina *23. Aug. et 18. Septemb. 1721.*

(*48*) Neque dicas, requiri contactum: quia mandans per mandatarium tangit. Neque dicas mandatarium ad baptizandum, et non mandantem cognationem contrahere; ita et in susceptione etc. nemo enim potest baptizare nomine alterius; quoniam qui baptizat immediate Christi sustinet personam: at potest quis infantem tangere, tenere etc. nomine alterius.

(*l*) *Trid. loc. cit.*

(*49*) At in Confirmatione unus, vel una tantum potest tenere, juxta probabiliorem sententiam, ut præcipitur in cap. fin. de cognat. spirit. in 6. Tridentinum enim quoad hoc loquitur tantum de Baptismo.

(*m*) *Cap.* Quamvis *fin. de cognat. spirit. in 6.*

niam jam contraxit impedimentum. Si tenet scienter, non potest, ob eandem rationem: si denique ignoranter tenet, potest matrimonium contrahere; non enim contractum est impedimentum, cum adsit error circa personam (*n*).

170. *Num conjux, qui baptizat aut tenet filium communem, vel alterius conjugis, privetur jure petendi?*

Si hoc faciat ex ignorantia, vel necessitate, non privatur; quia deest culpa: aliter privatur ob culpam, juxta communiorem sententiam (*o* *).

SECTIO IV.

DE IMPEDIMENTO CRIMINIS.

171. *Quale Crimen hoc inducit impedimentum?*

Crimen, seu delictum contra fidem matrimonii, ex quo timetur mors conjugis.

172. *An omne hujusmodi generis crimen impedimentum inducat?*

Minime; sed tantum crimina sequentia: 1. homicidium cum conspiratione: 2. adulterium cum homicidio: 3. adulterium cum promissione matrimonii: 4. adulterium cum matrimonii attentatione (*p*).

173. *Quænam conditiones requiruntur pro homicidio cum conspiratione?*

Sequentes: 1. ut matrimonium antecedens fuerit validum: 2. ut adsit conspiratio ex utraque parte: 3. ut sequatur mors conjugis: 4. ut sequatur mors causa contrahendi cum ipsa persona, cum qua inita fuit conspiratio (*q* 50).

174. *Quid si mors conjugis non sequatur ex ictu, sed ob aliam causam, puta ob incuriam medicorum etc?*

Non inducitur impedimentum; quia non est mors secuta ex attentato crimine.

(*n*) *Cap.* Veniens 6. *de cognat. spiritual.* (*o*) *Cap.* Si vir 2. *de cognat. spiritual. et alibi.*

(*) Ratio discriminis inter sponsum, et conjugem est, quod in sponso est simplex inhabilitas, quæ contrahitur etiam absque culpa; in conjuge est pœna, ad quam culpa requiritur.

(*p*) *Ex multis locis jur. can.*

(*q*) *Ex can.* Si quis vivente 5. *caus.* 31. *q.* 1. *et cap.* Laudabilem 1. *de convers. infidel.*

(50) Ex probabiliori sententia requiritur ut talis intentio aliquo modo seu indicio saltem alteri parti manifestetur. Idem dicendum in sequenti capite.

175. Num mandans ad occidendum contrahat impedimentum?

Maxime; ipse enim est principalis occisor.

176. Quid si sit revocatum mandatum, attamen mors sequatur, quia revocationis notitia non pervenit ad mandatarium?

Inducitur impedimentum; nam ex vi mandati sequitur mors (51).

177. Num contrahat impedimentum, qui ratam habet occisionem nomine suo factam?

Minime; hæc enim ratihabitio nullum influxum in homicidium præbet.

178. Quænam conditiones requiruntur ad impedimentum contrahendum ratione adulterii cum homicidio?

Sequentes: 1. ut matrimonium antecedens fuerit validum: 2. ut adulterium sit perfectum, et formale (hoc est cognitum) ex utraque parte: 3. ut sequatur mors: 4. ut sequatur mors causa contrahendi cum adultera, vel adultero (52): 5. denique ut adulterium et homicidium sint sub eodem matrimonio (r).

179. Quid si copula habetur ante consummationem matrimonii?

Impedimentum inducitur; nam talis copula est verum adulterium.

180. Quænam sunt requisitæ conditiones pro adulterio cum promissione matrimonii?

Plures: 1. ut matrimonium antecedens fuerit validum: 2. ut adulterium sit perfectum, et formale ex utraque parte: 3. ut adulterium et promissio sint sub eodem conjugio; sive promissio præcedat, sive sequatur adulterium: 4. ut promissio sit acceptata (s 53).

---

(51) In omnibus casibus inducitur impedimentum, quando mandatum est causa homicidii: et e contrario. Idem dicendum de consilio ad occidendum.

(52) Quare non contrahitur impedimentum, si mors inferatur ad liberius fruendum adultera, vel ad ducendam aliam, cum qua non fuit adulterium: contra inducitur impedimentum, si mors sequatur ad ducendam aliquam de pluribus, cum quibus habitum fuit adulterium.

(r) *Ex cit. locis, et ex cap.* Propositum 1. Significasti 6. *et* Veniens 7. *de eo qui duxit in matrim. etc.*

(s) *Ex citatis capit. et cap.* Si quis *fin. eod. tit.*

(53) Probabilius et communius non requiritur, ut sit mutua promissio. Contra probabilius est non sufficere promissionem conditionatam: at aliqui excipiunt, si jam sit impleta conditio.

181. Quid si quis matrimonium promiserit puellæ, quam solutam putabat, sciens postea esse uxoratam cum ea habuit copulam, estne impedimentum contractum?

Maxime; habetur enim promissio, et adulterium; et per adulterium promissio ratificata videtur.

182. Quid si sit promissio revocata ante adulterium?

Non est inductum impedimentum; nam tempore adulterii non amplius extabat promissio.

183. Quid si promissio sit post adulterium revocata?

Non potest matrimonium contrahi; jam enim fuit impedimentum inductum.

184. Quid si promissio fuerit ficta?

Quæstio est: aliqui asserunt induci impedimentum, quia in exteriori habetur, quod Ecclesia requirit ad impedimentum inducendum: alii vero negant, et forte probabilius; quia non habetur vera promissio.

185. Quænam conditiones pro quarto capite requiruntur, nempe pro adulterio cum matrimonii attentatione?

Sequentes requiruntur conditiones: 1. ut matrimonium antecedens fuerit validum: 2. ut adulterium sit perfectum, et formale ex utraque parte: 3. ut attentatio matrimonii fiat de præsenti, vivente altero conjuge; scilicet ut attentatio sit materialis, et formalis (*t* 54), sive ante, sive post adulterium sit hujusmodi attentatio (*u*).

186. Num qui metu gravi matrimonium attentat, contrahat impedimentum?

Probabilius non contrahit; attentatio enim non est omnino voluntaria.

187. Quid si quis post attentationem materialem tantum, sciens conjugem esse viventem, copulam habeat cum ea, quacum matrimonium attentavit, contrahitne impedimentum?

Utique; attentatio enim per adulterium fit formalis in usu.

(*t*) *Ex cap.* Propositum *1. cap.* Significavit *2. et cap.* Veniens *7. eod.*

(*54*) Attentatio dicitur materialis tantum, quando conjux est vivus, et creditur mortuus: dicitur formalis tantum, quando conjux est mortuus, et creditur vivus.

(*u*) *Cap.* Si quis *ult. tit. cit.*

188. An infideles hæc crimina committentes impedimentum contrahant?

Minime; hoc enim impedimentum cum sit de jure ecclesiastico, tantum subditos Ecclesiæ potest ligare. Quare hujusmodi infideles venientes ad fidem possunt inter se matrimonium inire.

189. Quid si dictorum criminum aliquod commissum sit inter fidelem, et infidelem?

Inducitur impedimentum, si delictum ex parte fideli completum habetur; sic enim Ecclesia punit fidelem (x): aliter impedimentum non inducitur ob contrariam rationem.

SECTIO V.

DE IMPEDIMENTO DISPARITATIS CULTUS.

190. Quando habetur hoc impedimentum?

Quando baptizatus matrimonium vult contrahere cum non baptizata, quamvis catechumena; vel vice versa (y).

191. Quo jure est illicitum hujusmodi matrimonium?

Omni jure, ob periculum subversionis, et damnum prolis.

192. Estne validum, et licitum matrimonium inter catholicum et hæreticam, vel vice contraria?

Est validum, si hæretica sit baptizata (z): sed mortaliter illicitum ob subversionis periculum (a).

193. An sit aliquando licitum?

Utique: et 1. quando hæreticus promittit se suscipere fidem catholicam post matrimonium, et adest causa, quare matrimonium conversioni anteponatur (b). 2. Quando ex consuetudine est per-

---

(x) *Ex cit. cap.* Laudabilem.

(y) Eruitur hoc impedimentum ex can. *Cave* 15. caus. 28. q. 1. et est acceptum ex pervetusta universali consuetudine vim legis habente.

(z) *Ex cap.* Decrevit *15. de hæretic. in 6.*

(a) *Ex concil. Chalcedon. can. 14. Ben. XIV. constit.* Magnæ Nobis, *aliisque jur. loc.*

(b) *Ex cit. can. Conc. Chalced.*

missum; sicuti est in Germania, Polonia etc. (55). 3. Ex dispensatione Summi Pontificis.

194. Valetne matrimonium inter infideles?

Maxime uti legitimum, dummodo sit juxta leges civitatis celebratum (c).

SECTIO VI.

DE IMPEDIMENTO VIS.

195. Estne validum matrimonium per vim aut metum gravem initum?

Minime, prout dictum est in IX. tract. num. 11. et sequent. (56)

196. An valeat matrimonium celebratum per metum gravem a judice incussum juxta allata et probata, et delictum revera non adest?

Probabilius non valet: nam ex parte contrahentis metus est injustus.

197. Num matrimonium per metum gravem initum juramento firmetur?

Minime; irritatio enim est ob bonum commune.

198. An firmetur per copulam?

Maxime, dummodo sciatur matrimonium fuisse nullum, et libere habeatur copula animo maritali; quia per talem copulam præstatur sufficiens consensus.

199. Peccatne, qui gravi metu coactus matrimonium contrahit, sciens esse nullum?

Si consensum internum non præstet, peccat tantum venialiter ob mendacium; at sacramentum non reddit nullum, quoniam materiam non præbet: si vero internum præstet consensum, peccat graviter; nullum enim reddit sacramentum.

---

(55) Modo 1. Catholico permittatur libere permanere in fide: 2. absit periculum perversionis: 3. detur libertas prolem catholice educandi: 4. si facile non sit parem inter Catholicos invenire.

(c) *Ex cap.* De infidelibus *4. de consang. et affinit. et cap.* Gaudemus *8. de divort.*

(56) Probabilius vim aut metum incutiens obligatur matrimonium convalidare, si velit altera pars; præsertim si non posset alia via injuria reparari, *arg. ex cap. 1. de eo, qui duxit etc.*

200. An peccent, et in aliquam incidant pœnam, qui aliquem cogunt ad matrimonium absque justa causa?

Peccant graviter contra justitiam; quia jus alterius lædunt; et etiam contra Religionem, si talis sit coactio, ut nullum fiat Sacramentum: isti incidunt ipso facto in excomm. nemini reservatam, si sint domini temporales vel magistratus jurisdictionem habentes temporalem in foro externo (*d*); ad quam pœnam incurrendam sufficit, ut coactio sit graviter peccaminosa.

201. Possuntne parentes filios, domini subditos ad matrimonium cogere, vel ab illo impedire?

Non possunt, nisi stante justa et gravi caussa; in hoc enim habenda est plena libertas.

202. In quam pœnam incidunt, qui absque justa causa mulierem cogunt ad religionem, vel impediunt ab ea?

In excomm. nemini reservatam: in quam incidunt etiam consentientes, auxiliantes etc. (*e*)

SECTIO VII.

DE IMPEDIMENTO LIGAMINIS.

203. Quando habetur hoc impedimentum?

Quando quis, vivente altero conjuge, matrimonium cum alia persona contrahit.

204. Quid est Polygamia, Polyandria, Bigamia *et* Monogamia?

Polygamia est conjugium unius viri cum pluribus uxoribus simul retentis. *Polyandria* seu Biviratus est conjugium unius uxoris cum pluribus viris simul retentis. *Bigamia* est conjugium unius cum pluribus successive, quando nempe post mortem unius cum alia persona contrahitur matrimonium. *Monogamia* est conjugium inter unum et unam tantum.

205. An hujusmodi species sint licitæ?

Polygamia est illicita de jure naturæ secundario, cum sit con-

(*d*) *Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 9.*

(*e*) *Trid. sess. 25. de Regul. et Monial. cap. 18.*

tra pacem familiæ, et prolis bonam educationem; fuit tamen a Deo Hebræis permissa: sed post Christi legem est omnino prohibita, uti constat ex Matth. 19. Marc. 10. Luc. 16. ex cit. cap. *Gaudemus*, et ex Trid. (*f**) Biviratus est illicitus jure naturæ primario, cum sit contra prolis certitudinem; immo contra matrimonii primarium finem, nempe contra generationem; nam una femina a pluribus viris fœtari non potest (*g*). Bigamia et Monogamia sunt licitæ, sicuti patet ex Trid. cit. sess.

206. *Secundum matrimonium estne verum Sacramentum?*

Maxime; et eruitur ex Trid. cit. sess. can. 1.

207. *Qualis certitudo requiritur de morte conjugis, ut possit alterum matrimonium contrahi?*

Certitudo moralis omnem moralem formidinem excludens. Hinc non sufficit longa absentia conjugis, fama communis, solum dictum unius sine aliis testibus, et conjecturis etc. (*h*)

208. *Quid si post secundum matrimonium prior appareat conjux?*

Secundum matrimonium est nullum ob impedimentum ligaminis; ignorantia enim potest a peccato excusare, at non reddit validum actum irritum: quare conjux ad priorem conjugem debet redire (*i*). Item est nullum matrimonium, si tempore contractionis prior conjux vivebat, quamvis postea mortuus sit.

209. *Quid si cum dubio mortis prioris conjugis contractum est matrimonium, et prior conjux revera erat mortuus, estne validum secundum matrimonium?*

Quæstio est: aliqui negant; quia in dubio non poterat apponi verus consensus. Alii autem sic distinguunt: si consensus fuerit conditionate appositus (scilicet si mortuus sit prior conjux), matrimonium est validum; quia conditio est vera: si non conditionate, matrimonium est nullum ob rationem superius allatam.

(*f**) *Sess. 24. can. 2.* Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.

(*g*) *D. August. lib. 3. de doctrina Christ. cap. 12. et lib. de bono conjugat. cap. 17. D. Thom. in 4. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 7.*

(*h*) *Ex cap.* Dominus *2. de secund. nupt. et aliunde.* (*i*) *Ex cap. cit.*

SECTIO VIII.

DE IMPEDIMENTO PUBLICÆ HONESTATIS.

210. *Quid est hoc impedimentum?*

Est quædam morum honestas, atque decentia ex matrimonio vel sponsalibus orta, impediens matrimonium inter aliquas personas (*k*).

211. *Ex quonam matrimonio, et ex quibus sponsalibus oritur hoc impedimentum?*

Ex matrimonio rato, et matrimonio nullo, dummodo non sit nullum defectu consensus, vel quia in præjudicium priorum sponsalium. Ex sponsalibus validis, certis, et absolutis (*l* 57).

212. *Num oriatur hoc impedimentum ex matrimonio nullo ob metum gravem?*

Litigium est: alii negant; quia in metu gravi non habetur consensus omnino liber: alii vero affirmant, et forte probabilius; quia in metu gravi adest consensus (58).

213. *Quando dicitur matrimonium in præjudicium priorum sponsalium?*

Quando nempe læditur jus prioris sponsi, vel sponsæ.

214. *Quodnam discrimen adest hac in re inter matrimonium nullum defectu consensus, et matrimonium nullum, quia in præjudicium priorum sponsalium?*

Discrimen est, quod ex matrimonio nullo defectu consensus non oritur impedimentum, neque quoad antecedentia, neque quoad consequentia, nempe quoad omnes non oritur impedimentum: ex matrimonio nullo, quia in præjudicium priorum sponsalium, ori-

(*k*) *Ex plur. jur. loc.*

(*l*) *Ex variis juris can. locis, et ex Trid. sess. 24. de matrim. reform. cap. 3.*

(57) Non desunt, qui docent, sed minus recte, oriri impedimentum ex matrimonio nullo defectu consensus, si defectus est occultus: et pariter oriri ex sponsalibus nullis ob quemcumque defectum occultum, modo in foro externo sint valida.

(58) Eo magis dicendum contra aliquos, oriri impedimentum ex matrimonio nullo, eo quod fuerit clandestinum.

tur impedimentum quoad consequentia, non quoad antecedentia; scilicet potest matrimonium contrahi cum priori sponsa, at non cum ejus consanguineis (*m*).

215. *Inter quas personas hoc contrahitur impedimentum?*

Inter sponsum, et consanguineos sponsæ; inter sponsam, et consanguineos sponsi.

216. *Ad quem usque gradum extenditur?*

Si oritur ex matrimonio, extenditur usque ad quartum gradum: si est ex sponsalibus, usque ad primum gradum (*n*).

217. *Qui post soluta sponsalia contrahit matrimonium cum sorore, vel matre, vel filia sponsæ, utrum valide contrahat?*

Minime, ex vera sententia; nam impedimentum semel inductum semper durat (*o*).

218. *An iste possit ad primam sponsam redire?*

Nequaquam; quia matrimonium non fuit in præjudicium priorum sponsalium, quare impedimentum inducit etiam quoad sponsam.

219. *Qui contrahit sponsalia conditionata, et ante conditionis eventum matrimonium contrahit cum sorore sponsæ, estne validum hujusmodi matrimonium?*

Maxime; nam ex sponsalibus conditionatis non oritur impedimentum.

220. *Si hæc moriatur uxor ante matrimonii consummationem, potestne iste ad primam sponsam redire?*

Minime; quia matrimonium fuit ratum, et impedimentum quoque induxit quoad primam sponsam.

221. *Qui contrahit sponsalia conditionata cum una, deinde contrahit sponsalia absoluta cum ejus sorore, postea matrimoniom cum tertia sorore, estne validum istud matrimonium?*

Affirmative; non enim oritur impedimentum ex primis sponsalibus, quia sunt conditionata; non ex secundis, quia sunt nulla.

222. *Catholicus cum hæretica sponsalia contraxit; deinde matrimonium cum ejus sorore; estne validum hoc matrimonium?*

Si permissum erat cum hæretica matrimonium, nulliter con-

(*m*) *Ex cap.* Ex sponsalibus *unic. de sponsal. in 6.*

(*n*) *Trid. cit. sess. cap. 3. et aliubi, constit. S. Pii V.* Ad Romanum.

(*o*) Patet etiam ex decl. S. Cong. ab Alex. VII. approbata die 6. Julii an. 1668.

traxit cum ejus sorore; sponsalia enim fuerunt valida: aliter validum est matrimonium ex ratione contraria.

SECTIO IX.

DE IMPEDIMENTO ÆTATIS, ET IMPOTENTIÆ.

223. *Quænam ætas habenda est ad valide matrimonium contrahendum?*

Ætas pubertatis, quæ in maribus est 14. annorum completorum, in feminis 12. annorum etiam completorum (p). At si sint ad generationem habiles, ex jure canon. permittitur matrimonium ante hanc ætatem (q).

224. *Estne validum matrimonium ante pubertatem?*

Minime, uti constat ex jure tam civili, quam canonico (59).

225. *Habetne saltem hujusmodi matrimonium vim sponsalium?*

Habet; quia valet, quantum valere potest (r): nisi alia fuerit mens contrahentium.

226. *Quid est impotentia?*

Est illa, qua nequit copula matrimonialis haberi, per penetrationem vasis naturalis feminæ, et effusionem seminis intra illud, ad generationem prolis aptam (s).

227. *Quotuplex esse potest?*

Multiplex: et 1. aut est absoluta, aut respectiva: prima est, quando quis est impotens respectu omnium: secunda est, quando quis est impotens respectu alicujus. 2. Vel est perpetua, vel temporalis: perpetua dicitur, quando nequit tolli aliquo medio licito et ordinario, sive naturali, sive supernaturali: e contrario dicitur temporalis. 3. Alia est antecedens, alia subsequens, seu superveniens: prima est quæ aderat tempore contracti matrimonii: altera, quæ habetur post matrimonium.

(p) *L.* Indecoram *ult. C. quando tutores vel curatores esse desinunt,* [*art. 152.*]

(q) *Cap.* De Illis *9. de desponsat. impub. et alibi.*

(59) Probabilius valet matrimonium, si contrahentes pubertatis ætate completa, non adhuc valent coire.

(r) *Cap.* Si infantes *un. §. 1. de desponsat. impub. in 6.*

(s) *Toto tit. de frigid. et malefic.*

228. *Quænam impotentia matrimonium dirimit?*

Antecedens et perpetua simul, sive sit absoluta, sive respectiva; quoniam nequit cum hac impotentia haberi finis primarius matrimonii (*t* ✻): quare est de jure naturæ ejusmodi impedimentum.

229. *Quid si dubitetur, num sit antecedens, vel subsequens?*

Ex probabiliori sententia censenda est antecedens, quando nunquam copula haberi potuit.

230. *Quid si dubitetur, utrum sit perpetua, vel temporalis?*

Non licet cum tali dubio matrimonium contrahere. At si jam sit matrimonium contractum, triennium ad explorandas vires conjugibus conceditur (*u*). Interea licita sunt conjugibus oscula, tactus etc. ad ostendendum amorem conjugalem; dummodo non adsit pollutionis periculum.

231. *Quid si quis sit impos ad generandum, sed non ad coëundum?*

Matrimonium est validum; quia impotentia est accidentalis.

232. *Quinam sunt Eunuchi, Spadones, Hermaphroditi?*

Eunuchus est, qui privatur utroque teste: Spado qui unum habet testem: Hermaphroditus qui pollet utroque sexu.

233. *An isti valide contrahant matrimonium?*

Eunuchus nulliter contrahit defectu seminis prolifici (*x*). Spado valide contrahit, quia unico teste emittit semen prolificum. Hermaphroditus contrahere potest secundum sexum validiorem: at si utroque sexu sit æque potens, juramentum præstare debet in quo sexu velit matrimonium contrahere.

234. *Quid si matrimonium fuerit nullum declaratum ex putata impotentia, quæ revera non aderat?*

Matrimonium remanet validum, quamvis sit auctoritate Ecclesiæ nullum declaratum; quia hujusmodi declaratio innitebatur falso supposito. Quare si aliud sit contractum matrimonium, istud

---

(*t*) *Variis jur. canon. cap. et præsertim cap.* Accepisti 1. Quod sedem 2. Ex litteris 3. Laudabilem 5. Fraternitatis 6. Litteræ 7. *de frigidis et maleficiatis.*

(✻) Hinc ex vera sententia non est validum senum matrimonium, si omnino, ne arte quidem medica, copulam habere nequeunt.

(*u*) *Cap.* Laudabilem *et* Litteræ *cit.*

(*x*) *Ex Bulla* Cum frequenter *Xysti V. edit. ann.* 1587. *et aliunde.*

est nullum ob impedimentum ligaminis, et ad primum est redeundum (*y* *60*).

SECTIO X.

DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS.

235. Quid est Affinitas? (*)

Est propinquitas personarum orta ex copula carnali (*61*).

236. Inter quas personas contrahitur affinitas?

Inter virum, et consanguineos mulieris; inter mulierem, et viri consanguineos (*62*).

237. Usque ad quem gradum extenditur hoc impedimentum?

Si est ex copula licita, usque ad quartum: si vero provenit ex copula illicita, extenditur usque ad secundum gradum (*z* *63*).

238. Quomodo computatur gradus in affinitate?

Sequenti regula: Quo gradu et linea quis est viro consanguineus, eo gradu et linea quis est mulieri affinis: et vicissim (*a*).

239. Quo jure est hoc impedimentum?

Ex copula illicita in omni gradu et linea est de jure ecclesiastico: ex copula licita in primo gradu lineæ rectæ, quæstio est, utrum sit etiam de jure naturæ: in omnibus aliis gradibus est de jure ecclesiastico tantum (*64*).

(*y*) *Cit. capit.* Accepisti, Laudabilem, *et* Fraternitatis.

(*60*) Idem dicendum de quocumque alio impedimento.

(*) *Affinitas* dicta ab eo, quod duæ cognationes diversæ per nuptias (et secundum canones per carnalem complexum, quo vir et mulier una fiunt caro) copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedit, *l. 4. §. 3. D. de gradibus etc.*

(*61*) Quomodocumque sit habita copula, sive licite, sive illicite, sive libere, sive coacte, sive scienter, sive ignoranter; dummodo sit perfecta, *ex var. loc.*

Quæstio est, utrum ad affinitatem contrahendam in copula requiratur quoque seminatio feminæ. In dubio vero an seminaverit femina, seminasse præsumitur.

(*62*) Consanguinei viri non fiunt affines cum consanguineis mulieris; neque vir fit affinis cum affinibus mulieris, aut contra; quia affinitas non parit affinitatem, uti fuit definitum in Concil. Later. IV. sub Innoc. III. et habetur ex cap. 5. et 8. de consanguin. et affin.

(*z*) *Ex cap.* Non debet *8. eod. et ex Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 4.*

(*63*) In præsentiarum copula licita dicitur illa, quæ est matrimonialis, nempe habita inter conjuges ex valido matrimonio; licet sit ex alio capite illicita: et contra.

(*a*) *Can.* Porro *3. caus. 35. q. 5.*

(*64*) Ex dictis resolve, utrum contrahitur affinitas inter infideles.

240. *Fidelis habuit copulam cum infideli, potestne contrahere cum ejus consanguineis fidelibus?*

Minime, dummodo hujusmodi consanguinei erant fideles tempore copulæ; quoniam, ut pote fideles, ecclesiasticæ legi erant subjecti: contra si non erant tunc fideles. (65)

DE AFFINITATIS SCHEMATE.

241. SUpervacaneum duxi aliud de affinitate appingere schema: si enim vir eo gradu et linea mulieris consanguineis fit affinis, quo gradu et linea mulier distat a suis, et vicissim; sat est in schemate videre quo pacto quisque sit mulieris consanguineus, ut recte agnoscatur quo pacto ipse evadat viro affinis: et contra.

242. Hinc tantummodo notantur nomina, quibus nonnulli appellantur affines, ex l. 4. §. 4. et seq. l. 6. et 7. D. de gradibus etc. necnon can. 5. caus. 35. q. 5. et aliunde.

243. *Socer* appellatur pater viri, vel pater uxoris: *Socrus* mater viri, vel uxoris: *Gener* vir filiæ: *Nurus* uxor filii: *Noverca* alia patris uxor: *Vitricus* alius maritus matris: *Privigni* et *Privignæ* vocantur filii et filiæ viri vel uxoris, ex alia uxore vel alio viro nati.

244. *Socer magnus, major, maximus* dicitur avus, proavus, abavus viri, vel uxoris: *Socrus magna, major, maxima* avia, proavia, abavia viri, vel uxoris: *Progener* neptis vir: *Pronurus* est nepotis uxor.

245. *Levir* viri frater, et (secundum aliquos) uxoris frater: *Glos* soror viri, et (per alios) uxoris. *Fratrissa* seu *Fratria* uxor fratris: *Sororius* maritus sororis. *Janitrices* duorum fratrum uxores.

SECTIO XI.

DE IMPEDIMENTO CLANDESTINITATIS.

246. Q*Uotuplici modo matrimonium clandestinum esse potest?*

Duplici modo proprie, et improprie: dicitur clandestinum

(65) De affinitate conjugibus superveniente ratione incestus satis dictum est in IV. tract. num. 205.

proprie, quando non celebratur coram Parocho, et duobus testibus: dicitur improprie clandestinum, quando celebratur absque denuntiationibus.

§. I. *De Clandestinitate proprie dicta.*

247. *Estne validum matrimonium clandestinum?*

Matrimonium improprie clandestinum est illicitum, sed validum; proprie clandestinum est invalidum in illis locis, in quibus fuit recepta lex Tridentini (*b*): in aliis locis est illicitum; sed validum (*c 66*).

248. *Valetne matrimonium proprie clandestinum in necessitate, vel ex ignorantia celebratum?*

Minime (contra paucos); nam expositæ causæ non reddunt validum, quod est irritum.

249. *Quid si nullo modo haberi potest Parochus, puta si celebratur matrimonium, ubi non adest parœcia?*

Valet matrimonium, quidquid aliqui pauci dicant; quoniam ubi non adest parœcia, non viget lex Tridentini.

250. *Estne validum matrimonium a peregrino clandestino celebratum in loco ubi viget lex Tridentini, quum in territorio peregrini non viget hujusmodi lex?*

Minime; quisque enim quoad conditiones et solemnitates con-

(*b*) *Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.* [*art. 67. 189.*] *et alibi.*

(*c*) *Ex declarat. S. Congreg. ann. 1605. et ex constit. Urb. VIII.* Exponi nobis *an. 1639. edita.*

(*66*) In nostro regno actus status civilis coram officiali municipali factus est tantum solemnis promissio matrimonii celebrandi coram Ecclesia, *art. 77.* Matrimonium absque tali solemni promissione est validum; at non sortitur effectus civiles, *art. 67. et 189.* Hujusmodi solemnis promissio, ut mihi videtur, sponsalium habet vim, dummodo adsit consensus internus; talis enim est sponsalium natura, nempe mutua repromissio futuri matrimonii: et si promissio matrimonii privata et occulta vim habet sponsalium, a fortiori dicendum habere vim sponsalium supradictam promissionem tot solemnitatibus stipatam. Neque dicas, jus nostrum civile nullam dare hujusmodi promissioni actionem ad matrimonium contrahendum: si enim hæc valeret ratio, nulla promissio matrimonii quomodocumque facta haberet rationem sponsalium; quia nulli promissioni matrimonii jus civile nostri regni externam dat actionem, *art. 148.* Ex hac solemni promissione oritur in foro conscientiæ obligatio contrahendi matrimonium; nam promissio acceptata obligat: at in foro civili nulla datur actio ad matrimonium contrahendum; sed tantum ad damna in favorem illius, qui rationabilem causam non dederit recedendi, *art. cit.*

tractuum tenetur stare legibus loci, ubi celebrantur contractus.

251. Qui exit e loco, ubi viget lex Tridentini, et in loco, ubi non viget hujusmodi lex, matrimonium clandestino celebrat, estne validum tale matrimonium?

Si hoc facit in fraudem, matrimonium est nullum, uti constat ex declaratione S. Congreg. ab Urbano VIII. confirmata die 12. Augusti 1627. Si non facit in fraudem, matrimonium est validum; validi enim sunt contractus initi juxta locorum leges, ubi celebrantur.

252. Quinam Parochus debet matrimonio assistere?

Parochus domicilii, vel quasi-domicilii viri aut mulieris, uti constat ex Tridentino. (67)

253. Inciditne in aliquam pœnam Parochus, qui conjungit aut benedicit sponsos alienæ parœciæ sine licentia proprii Parochi?

Manet suspensus, usquedum absolvatur ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat (*d*): et si est Religiosus, incidit etiam in excomm. Papæ reservatam (*e*).

254. Coram quo Parocho vagi debent matrimonium celebrare?

Coram Parocho illius loci, in quo versantur (etiamsi alteruter

---

(67) Ad adquirendum quasi-domicilium pro matrimonio valide contrahendo sufficit unus mensis ante contractionem; etiamsi postea conjuges ibi non permaneant, sicuti respondit Bened. XIV. Archiepiscopo Goano.

Si sponsi duo habeant domicilia in duabus Parochiis, ex communissima et probabili sententia in alterutra Parochia possunt matrimonium contrahere; modo in utraque æqualem habuerint habitationem.

Parochus ruralis non est proprius, si rus itur causa recreationis, aut pro rusticanis negotiis, *ex decr. S. C. apud Ben. XIV. Notif. 33. n. 7.* Item non sufficit domicilium fictitium, *ex pluribus declar. S. C.* At (contra paucos) sufficit, si quis in aliam Parochiam domicilium vere transferat, licet in fraudem prioris Parochi, *ex plur. decl. S. C.* Alienigenæ in carceribus detenti non possunt ibi contrahere, nisi sint ad carcerem in pœnam perpetuo vel ad tempus damnati, *ex decl. S. C. 26. Mart. 1707.* Idem dicendum de ægris, qui hospitalibus curantur; nisi urgeat necessitas, et non adsit tempus probandi statum liberum: et si convaluerint, nequeunt matrimonium consummare, nisi constet de statu libero: vide Ben. XIV. ibid. num. 12. et 17. Puellæ expositæ debent contrahere coram Parocho loci, ubi extat Conservatorium, *ex decl. S. C. 22. April. 1651. et ex eod. Ben. ibid. num. 14.* idem est ex consuetudine de aliis puellis, quæ degunt in Conservatoriis, a quibus alimenta et dotem recipiunt. Educandæ in monasteriis contrahere debent coram Parocho domicilii patris, vel matris, vel fratris, si adsit; aliter coram Parocho loci monasterii: idem est de famulis in herorum domibus degentibus, *id. Ben. ibid. num. 16. et 17.*

(*d*) *Trid. cit. sess. cap. 1.* (*e*) *Clement.* Religiosi. *1. de privileg.*

sponsorum tantum sit vagus): sed post diligentem inquisitionem, et licentiam ab Ordinario obtentam (*f*).

255. Requiriturne, ut Parochus sit Sacerdos?

Minime, omissa contraria sententia: sed Parochus non potest delegare hanc facultatem, nisi Sacerdoti (*g*).

256. Daturne casus, in quo valet matrimonium coram Sacerdote non Parocho?

Maxime, quando nempe habetur titulus coloratus, et error communis; ceu diximus in XI. tract. a num. 121. ad num. 125. (*h* 68)

257. Estne validum matrimonium coram Parocho per vim adhibito?

Maxime, quia requiritur Parochi præsentia, non consensus: sicque pluries declaravit S. C. Concilii.

258. Quid si Parochus affectat non audire, non videre?

Matrimonium est validum; nam Parochus in casu est testis contractus: et constat ex variis declarationibus laudatæ Congregationis.

259. Num Parochus excommunicatus, aut suspensus, aut interdictus valide assistat matrimonio?

Si est toleratus, valide assistit juxta omnes; quia non privatur jurisdictione: si vero est vitandus, quæstio est: aliqui negant; quia hujusmodi assistentia est actus jurisdictionis: aliqui autem juxta veriorem sententiam affirmant, e contraria ratione. Sic etiam quæstio est, utrum possit Parochus excommunicatus etc. vitandus alteri hujusmodi assistentiam delegare.

260. Peccatne Parochus excommunicatus etc. matrimonio assistens?

Si est toleratus, et sit petitus, non peccat; quoniam sic censuratus potest cum aliis communicare. Si vero est vitandus, vel non petitus, quæstio est: aliqui affirmant; quia in re sacra et gravi communicat cum fidelibus: alii vero negant; quia hujusmodi assistentia non est vera communicatio, sed tantum actus testimonii.

(*f*) *Trid. sess. cit. cap. 7.* (*g*) *Trid. sess. cit. cap. 1. S. C. Conc. in* Abulensi *12. Mart. 1593.*
(*h*) *S. C. Conc. 12. Mart. 1593. et 31. Jul. 1627.*

(68) Idipsum dicendum ex vera ratione, si matrimonium celebretur coram laico, qui titulo colorato et errore communi existimatur Parochus.

261. *Quinam possunt esse testes matrimonii?*

Omnes cujuscumque generis, modo quid agitur intelligant.

262. *Requiriturne simultanea Parochi et testium præsentia?*

Maxime requiritur simultanea et physice et moraliter, ut plene constet de matrimonio.

§. II. *De Matrimonii Clandestinitate improprie dicta.*

263. *Quot denuntiationes sunt matrimonio præmittendæ?*

Tres in Parœcia utriusque contrahentis inter *Missarum solemnia*, tribus diebus festivis continuis (*i* 69), sed non immediatis.

264. *Num sit grave peccatum denuntiationes omittere?*

Stante justa causa non est peccatum; leges enim ecclesiasticæ non obligant cum gravi incommodo: sed omissæ denuntiationes post matrimonii contractionem sunt supplendæ. Absque justa causa est grave peccatum (quidquid aliqui dicant); quia materia est gravis (*k* 70).

265. *In quam pœnam incidit Parochus omittens denuntiationes?*

De jure communi est suspendendus ab officio per triennium (*l*). * De jure Ecclesiæ Neapol. incidit in pœnam carceris arbitrio Ordinarii, et in pœnam quinquaginta ducatorum ipsi Parochiali Ecclesiæ applicandorum (*m*). *

266. *Quid si matrimonium differatur post multum temporis?*

Post duos menses repetendæ sunt denuntiationes ob periculum alicujus impedimenti supervenientis (*n*).

267. *Quid si mutetur Parœcia?*

* Si per quatuor menses quis moratus sit in nova Parœcia, omnes denuntiationes sunt in nova Parœcia renovandæ: si vero per

(*i*) *Trid. sess. cit. cap.* 1.

(69) Denunciationes matrimonii contrahendi inter exteros *non sunt faciendæ a Parocho sine licentia Ordinarii, S. Cong. Inquisit. in instruction. edita* 21. *Augusti* 1670. *et S. Cong. Episcop. et Regul.* 20. *Decemb.* 1692.

(*k*) *Ex loc. cit. Trid.*

(70) Quæstio est, utrum sit grave omittere unam denunciationem: probabilius est grave duas omittere.

(*l*) *Cap.* Cum inhibitio 3. §. *ult. de clandestin. desponsat.*

(*m*) *Ex Synod. Pignatell. part.* 2. *cap.* 9. *num.* 2. *et* 7.

(*n*) *Ex Rit. Rom. et nostra Synod. loc. cit. n.* 8.

tempus minus, una denuntiatio est facienda in nova Parœcia, et duæ in veteri. Parochus contrarium agens incidit in pœnam quinquaginta ducatorum ipsi Parochiali Ecclesiæ applicandorum (o).

268. In quam pœnam incidunt contrahentes matrimonium absque denuntiationibus?

In excomm. nemini reservatam: et in eandem excomm. incidunt etiam consulentes, auxilium præstantes, nec non testes scienter præsentes (p) *

269. In quam pœnam incidit Parochus assistens matrimonio absque denuntiationibus?

In suspensionem ab officio per triennium ferendæ sententiæ, si præsuntuose hoc fecerit (q); * et in pœnam centum ducatorum distribuendorum puellis dotandis illius loci, dummodo malitiose vel supina negligentia hoc facit (r). *

270. Quænam impedimenta sunt manifestanda?

Omnia, sive dirimentia, sive impedientia * sub pœna excomm. nemini riservatæ (s); * quamvis sciantur secreto naturali, vel juramentum datum sit ad ea non revelenda; agitur enim de bono proximi, et valore Sacramenti.

271. Quid si probari nequeat impedimentum?

Est etiam manifestandum, omissa aliquorum opinione; quoniam in denuntiatione non requitur probatio.

272. An ipsi contrahentes teneantur impedimentum manifestare?

Maxime; tum quod quisque tenetur superiori legitime interroganti veritatem dicere, tum quod agitur de bono sacramenti etc. (71)

(o) *Ex cit. Synod. loc. num. 7.* (p) *Ex cit. loc. num. 22.* (q) *Cit. cap.* Cum inhibitio.
(r) *Ex loc. cit. Synod.* (s) *Ibid. num. 4.*

(71) In quam pœnam incidant objicientes falsum impedimentum, dictum est in xv. tract. num. 153.

Pro matrimoniis occultis (dictis matrimoniis conscientiæ) hæ sunt servandæ regulæ ex Bened. XIV. bulla *Satis vobis.* 1. Denuntiationes matrimoniales non sine gravi causa dispensentur ab Episcopo. 2. Debet Episcopus, antequam hujusmodi matrimonium permittat, diligenter exquirere qualitatem, gradum, et conditionem contrahentium, an sint sui vel alieni juris, an sint filiifamilias, et num illæ nuptiæ sint tales, ut pater juste illis possit dissentiri. 3. Si omnia repererit ad formam, debet Episcopus deputare ad assistendum eisdem nuptiis Parochum alterutrius contrahentis, nec, nisi ex gravi causa, tale munus demandare debet Sacerdoti a Parocho diverso. 4. Habitis de statu libero documentis claris, et non dubiis, matrimonium celebretur coram Parocho vel

SECTIO XII.

DE IMPEDIMENTO RAPTUS.

273. *Quid est Raptus?*

Est violenta alicujus personæ abductio de loco in locum, causa contrahendi matrimonium, vel explendi libidinem.

274. *In quas pœnas incidunt raptores?*

De jure canon. incidunt in excomm. nemini reservatam, in perpetuam infamiam, in inhabilitatem ad omnes dignitates, et si Clerici fuerint, de proprio gradu decidunt: in prædictas pœnas incidunt etiam omnes consilium, auxilium, et favorem præbentes. Præterea incidunt raptores in pœnam dotandi raptam; et in impedimentum matrimonium dirimens (*t* *).

Sacerdote deputato, et coram testibus fidelibus. 5. Parochus aut Sacerdos deputatus contrahentes commonere debet, ut curent prolem statim baptizari, ut illam christiane educent, et uti legitimam agnoscant in bonis et successionibus. 6. Idem deputatus Episcopo exhibere debet documentum celebrati matrimonii cum nota loci, et temporis, et testium qui interfuerunt. 7. Episcopus pro hisce matrimoniis servare caute debet in Episcopali Cancellaria librum diversum ab illo, in quo reliqua publica matrimonia adnotantur, clausum et sigillis obsignatum, non aperiendum, nisi quando similia matrimonia sunt adnotanda, aut alia urgens adest necessitas. In hoc libro diligenter transcribatur documentum exhibitum de verbo ad verbum per deputatum ab Episcopo omni exceptione majorem apud omnes: ipsum vero documentum et attestatio ab eodem Episcopo in secretiore loco sunt custodienda. 8. Ut proles inde nata baptizetur in Ecclesia, vel expresso nomine parentum, vel sub alio nomine, et statim denuncietur Episcopo aut per litteras parentum manu propria signatas, aut per personam fide dignam a parentibus designatam, expresso tempore, loco, baptismo, utrum sit proles baptizata sub veris vel falsis parentum nominibus etc. Attestatio ista scribenda est in libro diverso ab eo, in quo matrimonia occulta describuntur, utriusque parentis nominibus appositis. Hujusmodi liber eadem est diligentia custodiendus, qua liber matrimoniorum occultorum. Qui ista negligunt, debita pœna sunt puniendi: et Episcopus debet matrimonium revelare, si intra 30. a nativitate dies non sit ei proles denuntiata. Quare Parochus vel Sacerdos deputatus in celebratione matrimonii debet monere conjuges, ut prolem ex eo conjugio natam denuncient Episcopo, eo modo quo supra; et eis denuntiet quod, si hæc omittantur, Episcopus, secreti fide neglecta, matrimonium illud occultum sit revelaturus, ne filiis natis jactura inferatur. 9. Demum attestationibus matrimonii sic celebrati eadem præstanda est fides, quæ aliis libris parochialibus præstatur.

(*t*) *Trid. sess. cit. cap. 6.*

(*) De jure civili incurritur pœna relegationis. (*art. 336. p. 2.*)

275. *Quænam conditiones requiruntur ad incurrendas pœnas canonicas?*

Requiritur violentia, abductio feminæ de loco in locum, et ex veriori sententia ut sit causa contrahendi matrimonium.

276. *Num raptores statim incurrant in pœnas?*

In excomm. et impedimentum statim: in alias pœnas post sententiam judicis.

277. *Num incidit in pœnas femina virum rapiens?*

Non incidit in pœnas de jure canonico, quicquid aliqui sentiant; Tridentinum enim loquitur de raptore, non vero de raptrice. (*)

278. *Estne validum matrimonium celebratum a raptore cum rapta?*

Est omnino nullum; sic expresse definivit Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 6. et hoc est, quamvis rapta consensum dederit. At si mulier in loco tuto posita libere det consensum, tunc matrimonium est validum, ex cit. cap. Trid. (72)

279. *Estne validum matrimonium, si sponsus de futuro rapuerit sponsam, eo quod ista injuste volebat a sponsalibus resilire?*

Minime, quidquid aliqui dicant; semper enim habetur verus raptus.

280. *Valetne matrimonium celebratum a mandatario cum puella, quam ipse rapuit nomine mandantis?*

Maxime; quia puella non est rapta causa contrahendi cum mandatario.

281. *Estne validum matrimonium, si puella ad raptum consenserit?*

Utique; nam sine violentia non habetur raptus saltem de jure canonico.

SECTIO XIII.

DE DISPENSATIONE IN PRÆFATIS IMPEDIMENTIS.

282. *AN in omnibus impedimentis requiratur dispensatio?* (73)

Minime: nam matrimonium nullum defectu consensus ob er-

(*) Incidit tamen in pœnam de jure civili, uti ex cit. art. 336. et sequent.

(72) Idem dicito, si rapta sit meretrix.

(73) Doctrina de dispensatione in genere habetur in tract. III. cap. 7. sect. 1.

rorem, vim, metum, vel conditionis ignorantiam, convalidatur per novum liberum consensum. Nullum ob cultus disparitatem, convalidatur per novum consensum post baptismum. Nullum ob impedimentum ligaminis, fit validum per novum consensum post mortem conjugis. Nullum ob clandestinitatem fit validum per novum consensum coram Parocho et duobus testibus. Nullum ratione raptus fit validum per novum consensum, postquam rapta in loco tuto sit constituta. Quare dispensatio requiritur tantum pro impedimentis cognationis, criminis, publicæ honestatis, et affinitatis (74).

283. *Quinam possunt dispensare in impedimentis dirimentibus?*

In impedimentis de jure canonico Summus Pontifex; cum sit legis dominus: in impedimentis de jure naturæ non potest Summus Pontifex, nisi ex speciali Dei concessione (75); quoniam est inferior in lege naturali.

284. *In quibus impedimentis potest Cardinalis Pœnitentiarius dispensare?*

Ante matrimonii contractionem potest in impedimentis occultis, in foro conscientiæ, et omnino gratis: excepta consanguinitate in quovis gradu, affinitate ex copula licita, cognatione spirituali, atque publica honestate. At pro matrimoniis contractis potest etiam dispensare in secundo et tertio gradu consanguinitatis. Item potest in secundo tantum gradu prædicto, si impedimentum saltem per decennium duravit occultum, et oratores simul publice contraxerint et convixerint, et uti conjuges reputati fuerint. Si vero impedimentum est publicum, potest dispensare in tertio et tertio gradu consanguinitatis, quando obtenta dispensatio fuerit obreptitia, vel subreptitia; dummodo obreptitia non fuerit ob expositionem falsæ copulæ (*u*).

285. *Potestne Episcopus in impedimentis matrimonii dispensare?*

Potest, quicquid aliqui dicant; sed tantum in impedimentis occultis post matrimonium contractum et consummatum detectis,

(74) Utrum teneatur Confessarius pœnitentem monere de impedimento matrimonii, jam dictum est in II. tract. num. 21.

(75) Hæc specialis concessio habetur in impedimentis, quæ originem trahunt a voluntate hominis, et ad Deum referuntur, uti est in voto; juxta DD. cum D. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. ad 4. et a. 4. quæstiuncula prima in corp.

(*u*) *Bulla Benedict. XIV. Pastor bonus 13. Aprilis 1744.*

habitis conditionibus sequentibus: 1. nempe ut matrimonium sit in faciem Ecclesiæ celebratum, præmissis denuntiationibus: 2. ut adsit bona fides, saltem ex parte unius contrahentis: 3. ut nequeant contrahentes separari absque scandalo, vel gavissimo damno: 4. ut non possit haberi facilis recursus ad Pontificem ob paupertatem aliamve causam, vel adsit periculum in mora etc. Hæc dispensatio tamen valet tantum in foro coscientiæ (76).

286. *An possit aliquando Episcopus dispensare ante matrimonii contractionem?*

Maxime, omissa contraria sententia; et 1. quando imminet mors alicujus contrahentium, et matrimonium est necessarium ad filios legitimandos, ad vitandam mulieris infamiam, vel alia damna. 2. Quando omnia sunt parata, et habetur aliquod impedimentum occultum, et adesset scandalum, rixæ etc. si matrimonium non celebraretur (77). 3. Juxta communissimam sententiam, si impedimentum est dubium (78).

287. *Potestne Episcopus in impedimentis dispensare matrimonio supervenientibus ob affinitatem, votum simplex castitatis, cognationem spiritualem?*

Maxime, ad debitum petendum, uti patet ex consuetudine, et communi praxi (79).

288. *Quid est agendum ad convalidandum matrimonium post obtentam dispensationem?*

Debent conjuges novum consensum apponere, certiores facti de nullitate prioris matrimonii (80).

---

(76) Juxta nonnullos si dispensatio possit a S. Pœnitentiaria per epistolam commode obtineri, tunc non potest Episcopus dispensare.

Bene possunt Episcopi (posthabita aliquorum opinione) hanc dispensandi facultatem aliis committere.

(77) In quo casu juxta aliquos potest dispensare etiam Parochus, aut Confessarius (seu potius declarare, quod cesset in eo casu lex impedimenti), si baberi non potest facilis ad Episcopum recursus. Utrum vero post contractum matrimonium sit petenda dispensatio, dissidium est.

(78) Si sponsi sint diversæ diœcesis probabiliter sufficit, ut unus tantum Episcopus dispenset, licet Episcopus dispenset ex delegatione.

(79) In affinitate superveniente possunt quoque dispensare omnes Confessarii Mendicantes ab eorum Prælato ad hoc munus deputati, ut constat ex pluribus privilegiis, præsertim Martini V. Julii II. S. Pii V. etc.

(80) Attamen non requiritur, ut in cognitionem veniant occulti impedimenti. Vi-

289. Requiriturne præsentia Parochi, et testium?

Si matrimonium sit nullum ob clandestinitatem, est convalidandum coram Parocho, et duobus testibus. Si sit nullum ob aliud impedimentum, et Parochus vel testes sciant impedimentum, vel periculum adsit, ut impedimentum sciatur ab ipsis, aut in publicum deducatur, et etiam eorum requiritur præsentia ad matrimonium convalidandum, ut possint de matrimonii validitate testificari, et vitetur scandalum, et fraus in posterum (*x 81*): aliter, quidquid aliqui dicant, non requiritur hujusmodi præsentia (*y*).

PRAXIS

VARIA COMPLECTENS DICTAM DISPENSATIONEM SPECTANTIA.

290. Mirifice dissident Doctores in definiendo quandonam aliquod impedimentum dici possit occultum. Placet dicere cum Bened. XIV. *Notif. 87. n. 45.* et aliis, impedimentum per se esse occultum, si notum sit in oppido sex solis personis, in civitate septem vel octo. Dixi *per se*; nam excipi debet, si prudens adsit periculum, quod res sit aliis manifestanda, vel ad forum externum deferenda. Nota tamen cum eodem Bened. *ibid. n. 42.* aliisque permultis etiam dici occultum impedimentum, si factum est publicum, at ignoratur impedimentum ex facto exoriri: v. c. scitur copula, nescitur tamen ex copula oriri impedimentum affinitatis.

291. Si post obtentam dispensationem S. Pœnitentieriæ impedimentum detectum fuerit in foro externo, Episcopus, Parochus, vel judex acquiescere debent testimonio Confessarii fidem facientis de impetrata dispensatione: ita Ben. XIV. *ibid. n. 51.* et alii.

---

de M. P. Leonem p. 251. Dianam p. 8. t. 3. R. 110. et alios. Neque desunt docentes non esse necessarium ad matrimonium convalidandum, ut uterque conjux conscius fiat de nullitate illius: præsertim in casu urgentis necessitatis; cum nempe prudenter timetur separatio secutura, et inde infamia, scandalum etc.

(*x*) *Ex decreto S. C. 8. Junii 1619.*

(*81*) Non desunt tamen qui in contrariam abeunt sententiam.

(*y*) Quod et patet ex praxi S. Pœnitentieriæ, et pluribus declar. S. C. Concil. Vide Ben. XIV. Notif. 87. n. 62.

292. Sequentes a Theologis recensentur justæ causæ, ut licite dispensetur in impedimentis dirimentibus, videlicet. 1. Ablatio scandali. 2. Extinctio magnæ litis, vel odii inter cognatos. 3. Inæqualitas matrimonii, nisi contrahatur cum illa persona, cum qua est impedimentum. 4. Defectus dotis competentis. 5. Conservatio divitiarum in eadem cognatione. 6. Merita petentis dispensationem. 7. Revalidatio matrimonii jam bona fide contracti: et etiam mala fide, si sit matrimonium consummatum, vel adsit fama de copula habita. 8. Necessitas auxilii; puta si mulier defectu illius viri non possit litibus assistere, vel suis filiis providere. 9. Ætas mulieris excedens XXIV. annum. 10. Periculum perversionis a fide. 11. Majoris pecuniæ subministratio Monti Pietatis Romæ.

Notetur 1.° Quo propinquior est gradus consanguinitatis vel affinitatis, eo majorem causam requiri. 2.° Sæpe sufficere plures unitas causas, etsi non sufficerent singulæ earum.

293. Memoriæ reducitur non valere dispensationem subreptitiam, vel obreptitiam, prout dictum est in III. tract. num. 90. et 91. Ut vero subreptitia non sit dispensatio, explicanda sunt omnia impedimenta, quæ adsunt; item si cognatio sit carnalis, vel spiritualis, vel legalis; item gradus, et linea. In linea inæquali uterque gradus est exprimendus, scilicet non solum remotior, sed etiam propinquior, ita ut, si propinquior sit primus, aut (quicquid aliquis dicat) secundus, istius reticentia nullam reddat dispensationem: alias erit valida, sed illicita dispensatio; et requiruntur *Literæ declaratoriæ* super gradu propinquiori; sed tantum in foro externo ad vitandum, si adsit, scandalum. Item exprimenda est copula incestuosa inter ipsos oratores habita: immo necessario est quoque malus animus exprimendus, si copula ex parte utriusque fuerit habita ad facilius dispensationem obtinendam, et copula allegetur pro unica causa obtinendi dispensationem. Item in petenda secunda dispensatione in eadem materia, exprimenda est alia obtenta dispensatio, si utrumque impedimentum sit ex eodem crimine.

Probabilius omnia sunt exprimenda, si plura sint impedimenta affinitatis ejusdem gradus; e. g. si quis cognoverit duas sorores suæ sponsæ: et idem dicendum de aliis impedimentis consanguinitatis, cognationis spiritualis, publicæ honestatis etc.

294. Quæstio est, utrum pro pluribus impedimentis possit divisim dispensatio impetrari : probabilius potest, si impedimenta disparia sunt, et unum ex altero non augetur ; uti esset votum, et consanguinitas etc. vel (juxta aliquos) justa adsit causa separandi ; veluti si unum impedimentum esset publicum, et aliud occultum, quod possit infamiam afferre ; e. c. si quis vult consanguineam ducere, cujus sororem occulte cognovit. At secundum probabiliorem sententiam iste in supplicatione ad Pœnitentiariam pro impedimento occulto debet simul et aliud impedimentum exponere.

295. Si quis post obtentam dispensationem super impedimentum occultum affinitatis, iterum ante dispensationis executionem rem habuerit cum eadem consanguinea suæ sponsæ, nova non indiget dispensatione : sic quoque probabilius dicendum, si copula fuerit post executionem. At omnino nova requiritur dispensatio, si copula fuerit cum alia sponsæ consanguinea intra secundum gradum.

296. Ex veriori sententia nova requiritur dispensatio, si post obtentam dispensationem super gradu prohibito, et ante ejus executionem sponsi copulam inter se habuerunt : probabiliter vero non requiritur, si copula post executionem sit habita ; etiamsi in dispensatione sit clausula *modo copula non interfuit*.

297. Expenduntur clausulæ, quæ solent a S. Pœnitentiaria in dispensationibus apponi.

1. *Si ita sit*. In hoc præstanda est fides pœnitenti, nisi contriarum constet. 2. *Audita prius Sacramentali Confessione*. Patet necessariam esse Confessionem. 3. *Sublata occasione peccandi*, idest voluntaria : si est necessaria, sufficit ut reddatur remota. 4. *Dummodo impedimentum sit occultum*. De hoc dictum est superius. 5. *Injuncta ei gravi pœnitentia*. Juxta vires pœnitentis : uti esset per sex menses jejunare semel in hebdomada, aut recitare Rosarium ter in hebdomada, aliasve orationes, vel confiteri saltem semel in mense etc. Quod si pœnitens de crimine jam egerit pœnitentiam, istius habenda est ratio. At si in dispensatione aliqua sit designata satisfactio, hæc omnino est imponenda. 6. *Præsentibus laceratis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ*, idest saltem infra triduum ab executione dispensationis. Si vero non sit apposita hujusmodi conditio, non adest obligatio literas lacerandi ; sed Pa-

rochus dispensationem adnotet in libro secreto, ad fidem postea faciendam, si opus sit.

298. Cum petitur dispensatio a Dataria, exprimenda sunt nomen et cognomen oratoris, diœcesis originis et domicilii utriusque sponsi, impedimentum, causa etc. Si vero a S. Pœnitentaria petitur dispensatio, tacentur nomina etc. exponitur tantum impedimentum, causa, persona et locus, quo literæ sunt dirigendæ.

299. Exemplar supplicationis ad S. Pœnitentiariam.

Intus scribatur :

Eminentissime, et Reverendissime Domine.

N. N. cum quadam muliere sponsalia contraxit: at cum ejus sorore (vel matre etc.) antea (vel posteà) rem habuit. Impedimentum est occultum, et si conjugium non contraheretur, plura evenirent scandala (aut alia). Ideo supplicat Eminentiam V. ut dignetur ei dispensationem concedere. Favebit responsum mittere Neapolim (vel indicatur alius locus etc. e. c. *Aversam per viam Neapolis*) *ad Confessarium approbatum N. N.* (exprimatur nomen et cognomen) *etc.*

Istius instar scribatur epistola, si aliud sit impedimentum, vel causa.

Si vero matrimonium jam sit contractum, ita scribatur :

N. N. ignarus (vel conscius) impedimenti (exprimatur quale sit) *matrimonium contraxit cum aliqua muliere. Cum sit impedimentum occultum, et non possint separari sine scandalo, supplicat ideo Em. V. pro absolutione, et dispensatione etc.*

Pro votis castitatis, vel Religionis sic potest scribi :

Eminentissime etc.

N. N. votum castitatis (vel Religionis) emisit; at nunc est in gravi et imminenti periculo incontinentiæ (aut exprimatur alia causa); *ideo supplicat Em. V. ut dispensare dignetur in dicto voto, et sic possit orator matrimonium inire etc.*

Foris superscribatur

Eminentissimo et Reverendissimo Domino Colendissimo, Domino Cardinali Majori.

Romam.

Possunt etiam Italico idiomate ejusmodi litteræ scribi.

300. Formula quæ adhiberi potest in dispensando.

Delegatus post datam Absolutionem Sacramentalem addere potest: *Insuper auctoritate Apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento (primi*, vel *secundi*, vel *primi et secundi etc.) gradus, proveniente ex copula illicita a te habita cum sorore (aut alia consanguinea) mulieris* (vel exponitur alia causa impedimenti), *cum qua contraxisti (aut contrahere intendis) ut matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu (vel ut matrimonium cum illa contrahere possis), et prolem, quam suscepisti (vel suscipies) legitimam declaro. In nomine Patris etc.*

In dispensatione voti dicit: *Insuper tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere, et illo uti, dispenso*, vel *in opera, quæ tibi præscripsi, dispensando commuto. In nomine Patris etc.* Si vero jam sit contractum matrimonium, dici potest: *Insuper non obstante voto quod emisisti, ut in matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere possis, auctoritate apostolica tecum dispenso. In nomine Patris etc.*

301. Demum notetur, posse pauperes pro matrimonio contrahendo a S. Pœnitentiaria obtinere dispensationes, quæ alias a Dataria essent expediendæ: sic fuit vivæ vocis oraculo a Pio VII. concessum Pœnitentiario Majori Cardinali Castelionio (qui postea fuit Pius VIII.) etsi hoc fuerit a Bened. XIV. prohibitum.

CAPUT IV.

DE DEBITO CONJUGALI.

302. Q*uo jure tenentur conjuges simul habitare?*

De jure divino: patet ex Genes. 2. 24. *Et erunt duo in carne una*; et ex natura contractus, qui fit *ad individuam vitæ consuetudinem retinendam*; et ex fine matrimonii, nempe ad prolem generandam, et educandam.

303. *Num actus conjugales sint liciti?*

Maxime; immo aliquando etiam obligatorii (*): et si sint debitis circumstantiis vestiti, sunt etiam meritorii.

304. *Quando sunt obligatorii?*

Quando conjux petit serio, instanter, et rationabiliter, sive verbis, sive signis.

305. *Quando non tenetur conjux debitum reddere?*

Quando justa adest causa non reddendi; ut puta ob grave periculum salutis corporis, vel animæ, quando alter conjux jus non habet petendi etc. (*82* ✻)

306. *Ob quas causas non licet debitum petere?*

Ob sequentes; nempe ob votum castitatis; ob affinitatem, vel cognationem spiritualem post matrimonium contractam; et quando quis contraxit cum dubio de valore matrimonii (*83* ✻✻).

(*) Est de fide, uti constat ex 1. Corinth. 7. 3. *Uxori vir debitam reddat: similiter autem et uxor viro*; et ex 1. Pet. 3. 7.

(*82* ✻) Per se loquendo vir non tenetur petere: tenetur tamen si cognoscit, quod uxor vellet petere, et ob innatam verecundiam non petit. Item mulier non tenetur reddere, nisi expresse vir petat; vel evidenter constet de erubescentia viri, ut puta si vir valde esset pusillanimis et verecundus, si mulier esset maximæ auctoritatis, vel feræ conditionis etc. Uterque conjux petere tenetur, si in alterutro adsit incontinentiæ periculum: sed probabilius tantum ex caritate, non ex justitia; quare non obligatur cum gravi incommodo. Licet petere a conjuge excommunicato, etiam vitando: quare iste potest reddere, *ex can. 103. caus. 11. q. 3.* Sicque probabilius conjugi excommunicato licet petere. Si vero conjux castitatis voto sit ligatus, relege dicta in num. 99. et subjecta adnot. (35): et idem dicito, si conjux affinitatem, vel cognationem spiritualem cum altero conjuge post matrimonium contraxerit.

Non tenetur conjux reddere 1. si alter immoderate petit, puta post tertiam copulam eadem nocte habitam: intelligitur, si absit incontinentiæ periculum. 2. Si alter expresse cessit juri suo petendi. 3. Facto legitimo divortio.

Probabilius non adest obligatio reddendi 1. conjugi amenti, vel ebrio: excipitur, si adsit periculum prodigendi semen; vel si conjux non sit universe aut semper amens. Licet tamen reddere conjugi amenti, vel ebrio; modo absit periculum scandali, vel abortus. 2. Si uxor experta sit non posse parere sine periculo mortis.

Quæstio est, an liceat negare debitum ob filiorum pluralitatem: at licet ob hanc causam mutuo consensu a matrimonii usu se abstinere.

Peccat conjux se impotentem reddens, etiamsi mediis licitis hoc faciat.

(*83* ✻✻) Ad faciliorem captum sequentia notentur.

Non licet petere, neque reddere 1. Si matrimonium est nullum; etiamsi una pars maneat bona fide. De matrimonio dubio relege dicta in 11. tract. num. 46. 2. Cum periculo sanitatis, ut puta si alteruter conjugum affectus sit lepra, morbo gallico, phthisi, aliove morbo contagioso. At juxta aliquos licet sano petere, vel reddere, si

307. Quando adsunt debitæ circumstantiæ?

Quando hujusmodi actus habentur fine, modo, loco, et tempore debito (*84* ✻).

---

morbus esset diuturnus, et non proxime ad mortem tendens, et adesset justa causa, scilicet fovendi amorem conjugalem, aut vitandi incontinentiam in se vel in altero etc. Si quis autem febri laboret, potius est inspicienda febris natura. 3. Statim a balneis, vel a venæ sectione. 4. Cum peccato proprio: quare non licet petere ob votum castitatis etc. ut supra. Nec cum peccato alterius conjugis, si culpa se tenet ex parte actus, ut puta si sit in loco sacro, cum scandalo, periculo abortus, vel sanitatis, vel modo illicito etc. si vero culpa se tenet ex parte alterius conjugis, nempe si sit ligatus voto castitatis, affinitate etc. vel habeat pravum finem etc. aut vir velit seminare extra vas post inceptam copulam etc. tunc quæstio est, utrum liceat reddere; saltem tenetur conjux ex caritate petentem monere. At probabilius non licet petere, saltem ex caritate.

Probabilius licet coire 1. Cum uxore affecta gonorrhœa, idest *fluxo albo*, præsertim si sit perpetuus. 2. Statim post comestionem. 3. Cum damno prolis nasciturae: nonnulli excipiunt, si experientia constet filios nasci mortuos.

Licet coire cum viro laborante fluxu seminis.

(*84* ✻) *Fine debito.* Quare mortale est habere actum conjugii mente adultera, nempe imaginari aliam, dum ad suam accedit. Idem dicendum de bigamo, qui in actu conjugali de priore conjuge carnaliter delectatur. Sic etiam probabilius est mortale se excitare ad copulam, delectando de pulchritudine alterius personæ; aut respiciendo in imagines diversi sexus, præsertim si sint sacræ; aut se delectando de copula aliena cogitata, vel de copula inter ipsum et alienam habita.

Modo debito. Situs naturalis coëundi est, ut mulier sit succuba, et vir incubus. Omnes alii situs sunt innaturales; nempe stando, vel sedendo, vel de latere, vel more pecudum, vel si mulier sit incuba, et vir succubus. Situs innaturales sunt permissi, si justa adsit causa; ut puta ob ægritudinem, vel viri pinguedinem, vel periculum abortus, aut scandali etc. Absque justa causa, communiter tenent Theologi (contra aliquos sentientes esse mortaliter illicitos) esse leviter peccaminosos: at omnes conveniunt esse mortaliter illicitos, si pravo habeantur concupiscentiæ affectu, puta affectu sodomiæ, bestialitatis etc. vel si experientia constet mulierem ob talem situm semen non retinere.

Probabilius est mortale copulam inchoare in vase præpostero (etsi absque seminatione) ut postea in vase debito consummetur: aut perfricare virilia circa vas præposterum uxoris.

Peccat mulier (et probabilius mortaliter) quæ statim post copulam se mingit, aut surgit, aut aliquid aliud agit, animo expellendi receptum semen. Excipitur, si id faciat ex necessitate, puta ad vitandum scandalum, periculum mortis etc.

Item ex veriori ratione peccat puella, quæ violenter oppressa statim expellit immissum semen. At potest ista (immo juxta aliquos tenetur) se vertere, et coitum interrumpere, etiamsi extra vas effundatur semen viri.

Non est mortale incipere copulam, at seminationem cohibere; dummodo ambo conjuges in hoc consentiant, et desit periculum pollutionis. At mortale est, si vir data opera a seminatione se trahit postquam femina jam seminaverit, aut sit in proximo periculo seminandi: excipitur, si hoc vir faciat ob periculum mortis, vel scandali. Utrum vero si vir jam seminaverit, peccet graviter non expectando seminationem uxoris, aut gra-

308. *Ob quem finem licite haberi potest actus conjugalis?*

Ob generationem prolis, ad reddendum debitum, ad tollendam incontinentiam (*85*).

309. *An careant omni culpa hujusmodi actus ob solam voluptatem exerciti?*

Minime; voluptas enim potest esse allectatio, non finis deliberatæ actionis; et in contrarium adest prop. damnata (*).

CAPUT V.

DE DIVORTIO.

310. *Quid est Divortium?*

Divortium duplici sensu accipi potest, vel quoad vinculum, vel quoad vitæ consuetudinem tantum: primo sensu acceptum est

---

viter peccet uxor a seminatione se retrahens, quæstio est: sententia negans est communior, et forte probabilior: at sententia affirmans est in praxi tenenda. Quare ex communiori sententia licet uxori tactibus statim se ad seminationem excitare, si vir post suam seminationem se retrahat.

Loco debito. Probabilius est lethale coire in Ecclesia sine necessitate. Sic etiam est lethale in loco pubblico, coram aliis etc. si adsit scandalum, vel ejus periculum.

Tempore debito. Tempore menstrui extraordinarii licet reddere, et petere. Utrum liceat tempore menstrui ordinarii, diversi diversa sentiunt. Alii volunt gravem esse culpam: alii nullam. Præstat tamen ex communissima et probabiliori sententia dicere, esse veniale petere, aut reddere tali tempore: et nullam esse culpam, siqua sit causa, puta ad vitanda dissidia, incontinentiam etc.

Coire tempore gestationis ad summum est veniale, nisi aliqua adsit causa cohonestans. At erit mortale, si experientia constet mulierem ex hoc pluries fœtum emisisse.

Coire tempore puerperii aliqui volunt gravem esse culpam: alii nullam. Communior probabiliorque opinio tenet esse venialem, nisi excusat causa honesta. Poterit aliquando esse gravis culpa, si ex concubitu gravis immineret morbus, vel notabilis morbi aggravatio. Hujusmodi periculum prudenter timetur, si concubitus eodem habeatur partus die, vel sequenti.

Concubere tempore lactationis probabilius nulla est culpa.

Utrum sit licita maritalis commixtio ante vel post Communionem, dictum est in 1. tract. num. 125. adnot. (*55* 4.°).

Diebus festivis, vel jejunii, aut Rogationum nulla est culpa debitum reddere; se abstinere a petendo potius est consilii, quam obligationis.

(*85*) Conjugibus fas est coire ob eosdem fines, ob quos licet matrimonium contrahere: quare relege dicta in num. 68. adnot. (*26*).

(*) Ab Innoc. XI. die 2. Martii 1679. *Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni caret culpa, ac defectu veniali.*

conjugum separatio, dissoluto matrimonio (z): altero sensu est legitima separatio conjugum, manente adhuc vinculo conjugali.

SECTIO I.

DE DIVORTIO QUOAD VINCULUM.

311. *Matrimonium estne indissolubile?*

Maxime, saltem ex Dei institutione; uti constat ex Christi verbis Matth. 19. 6. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*; et ex Trid. sess. 24. præcipue ex can. 7.

312. *An possit aliquando matrimonium dissolvi?*

Matrimonium ratum consummatum nunquam potest dissolvi, sic habetur ex traditione, et Trid. cit. sess. Matrimonium ratum non consummatum aliquando potest dissolvi, cit. sess. Trid. et alibi, ut infra dicetur (*). Potiori ratione potest dissolvi legitimum, etiam consummatum.

313. *Ob quas causas potest dissolvi matrimonium ratum?*

Ob professionem religiosam (a**), et probabiliter per dispensationem Summi Pontificis (b***).

314. *Quanti temporis spatium conjugibus conceditur ad deliberandum de religione?*

Bimestre, intra quale tempus neuter tenetur reddere debitum, quando matrimonium non est adhuc consummatum (c 86).

(z) *Ex toto tit. D. de divortiis.*

(*) Ratio discriminis est; quia ratum caret integra perfectione, et unionem denotat Christi cum anima fideli per gratiam; quæ unio est dissolubilis per mortale peccatum. Matrimonium ratum consummatum integram continet perfectionem, et unionem significat Christi cum Ecclesia; qualis unio est perpetua, atque indissolubilis: *cap. 5. de bigamis non ordin.*

(a**) Constat ex perpetua traditione, ex toto fere titulo de convers. conjugat. et ex Trid. sess. 24. can. 6. *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.*

(b***) Patet ex facto Mart. V. Eugen. IV. Julii III. Pii II. Pii IV. Pauli III. Greg. XIII. ac Urbani VIII. et ratio est, quod si potest Pontifex in professione dispensare, magis potest in matrimonio rato.

(c) *Cap.* Ex publico *7. de convers. conjugat.*

(86) Utrum licite uti possit privilegio bimestris qui nihil de Religione cogitat, quæstio est.

315. Quid si mulier intra bimestre fuerit per vim cognita?

Potest ista religionem profiteri, etiam invito viro; nemo enim injuste expoliari debet jure suo: at matrimonium nequit dissolvi; quoniam jam facti sunt una caro (*d*).

316. Quid si elapsum sit bimestre, et non sit adhuc consummatum matrimonium?

Potest conjux profiteri, et tunc dissolvitur matrimonium; nam cum non adhuc facti sint una caro, potest alter ad Deum transire, et alter liber remanere (*e*).

317. Quando dissolvi potest matrimonium legitimum?

Quando unus ex conjugibus ad fidem convertitur (*f**).

318. An semper per conversionem unius dissolvatur matrimonium legitimum?

Minime, sed tantum in sequentibus casibus: 1. quando infidelis non vult habitare cum fideli: 2. quando infidelis vult habitare; sed cum injuria Creatoris: 3. quando vult habitare, sed fidelem provocando ad peccatum mortale (*g*): 4. per Pontificis dispensationem: quia si probabiliter potest Summus Pontifex dispensare in rato, potius potest in legitimo (87): 5. denique per professionem religiosam, uti aliqui tenent ex eadem ratione.

319. In tribus prioribus casibus an statim dissolvatur matrimonium?

Minime; sed quando pars fidelis aliud contrahit matrimonium, aut religionem profitetur (*h*).

320. Ad quem pertinent filii in infidelitate procreati?

Si sint doli capaces, proprio arbitrio sunt relinquendi: aliter sunt tradendi parti fideli (*i*).

(*d*) *Ex cap.* Verum 2. *et cap.* Conjugatus 5. *de convers. conjugat.*

(*e*) *Ex cit. can. Trid. et cap.* Verum.

(*f**) *Ex verbis Apost. 1. ad Corinth. 7. 15.* Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi; *et cap.* Quanto 7. *de divort.*

(*g*) *Ex cit. loc.*

(87) Immo juxta probabiliorem et communiorem sententiam hisce temporibus semper obtinenda est dispensatio; frigescit enim charitas, et periculum adest subversionis.

(*h*) Ita communiter ex loc. cit.

(*i*) *Can.* Judæi 10. *caus.* 28. *q.* 1. *cap.* Ex litteris 2. *de convers. infidel. et alibi.*

321. *Dissolviturne matrimonium per amborum conjugum conversionem?*

Minime (*k*); fides enim non destruit, sed perficit matrimonium: qua ratione juxta aliquorum sententiam matrimonium per baptismum efficitur ratum, ac induit rationem Sacramenti (*l*).

322. *Quid si infidelis plures habeat uxores, et omnes cum ipso convertantur ad fidem?*

Tunc primæ uxori adhæreat, aliis relictis; cum prima enim tantum constat validum matrimonium (*m*).

SECTIO II.

DE DIVORTIO QUOAD VITÆ CONSUETUDINEM TANTUM.

323. *Quotuplici modo fieri potest hujusmodi divortium?*

Fieri potest vel quoad torum tantum, vel quoad habitationem tantum, vel quoad torum et habitationem simul. Item fieri potest ad tempus, vel in perpetuum.

324. *An sit licitum hujusmodi divortium?*

Maxime; et patet ex Trid. sess. 24. can. 8. et ex cod. noviss. part. 1. art. 217. et sequent.

325. *Quotuplici ex capite potest fieri?*

Fieri potest vel amore virtutis, vel causa delicti (*n*).

326. *Quænam conditiones habendæ sunt ad divortium amore virtutis faciendum?*

Sequentes: 1. mutuus consensus: 2. ut desit periculum incontinentiæ.

327. *Ob quænam delicta fieri potest divortium?*

Divortium perpetuum fieri potest tantum ob fornicationem; et per fornicationem ex probabiliori et communiori sententia intelligitur omnis concubitus consummatus cum altero supposito, sive homine, sive bestia. Divortium ad tempus fieri potest etiam

---

(*k*) *Cap.* De infidelibus *4. de consanguin. et affin. et* Gaudemus *8. de divort.*

(*l*) *S. Thom. in 4. dist. 39. q. 1. a. 1.* (*m*) *Ex cit. cap.* Gaudemus. (*n*) *Plur. loc. jur.*

ob lapsum in hæresim, vel infidelitatem; ob nimiam conjugis sævitiam; ob periculum animæ, vel corporis (*o 88* ✻).

328. *Jus faciendi divortii pertinet etiam ad uxorem respectu viri?*

Maxime, æquale est enim utriusque jus (*p*).

329. *Teneturne conjux innocens instituere divortium?*

Regulariter non tenetur (*q*); potest enim suo juri cedere : at tenetur in hisce casibus (*r*): 1. quando requiritur divortium ad salutem spiritualem delinquentis: 2. quando adest injuria proximi, vel periculum damni: 3. quando requiritur ad vitandum scandalum : 4. quando innocens votum habet simplex castitatis.

330. *Utrum aliquando ob adulterium conjugis non possit alter divortium facere?*

Maxime; et 1. si uterque conjux commiserit adulterium (*s*): 2. si adulterium fuerit tantum materiale (*t*): 3. si alter conjux fuerit causa adulterii; quia scienti et consentienti nulla fit injuria (*u*) : 4. denique si innocens reo remiserit injuriam; cessit enim juri suo (*x* ✻✻ *89*).

(*o*) *Ex Matth. 5. 32. ac variis jur. can. locis, et art. cod. noviss.*

(*88*✻) Ipsa adulterii suspicio sufficit ad divortium faciendum, *ex can. 2. caus. 32. q. 1.* intelligitur modo sit violenta suspicio, quæ moralem fundet certitudinem; v. c. si quis fide dignissimus testetur de adulterio; si adsint literæ amatoriæ, quibus adulteri præteritum fatentur adulterium; si quis solus cum sola in eodem lecto aspiciatur. Contra, nisi aliæ adsint circumstantiæ, per se probabilius non sufficiunt amplexus, tactus, oscula etc. si solus cum sola inveniatur in loco secreto etc.

Potest fieri divortium temporale ob periculum animæ, nempe si conjux alterum in peccatum trahat; si vir aliquem in domum introducat cum periculo, quod tentet ad adulterium; si vir sodomitice velit uxorem cognoscere etc. Sic etiam ob periculum corporis: puta si morbo contagioso sit conjux affectus, ut alteri immineat periculum mortis; vel sit furiosus, aut maleficus, aut energumenus etc.

(*p*) Ita communiter ex cap. *Idololatria* 5. caus. 28. q. 1. cap. *Discretionem* 6. de eo qui cognovit etc. et aliunde.

(*q*) *Ex dicto can.* Idololatria, *et cap.* Quemadmodum *25. de jurejur.*

(*r*) *Ex can.* Non solum *6. caus. 28. q. 1. et cap.* Si vir. *3. de adult. etc. aliubique.*

(*s*) *Cap.* Significasti *4. et* Ex litteris *5. de divort.*

(*t*) *Ex variis can. caus. 32. q. 5. et aliubi.* (*u*) *Cap.* Discretionem *cit.*

(*x*) *Arg. ex can.* Quam pericolosum *8. caus. 7. q. 1. et alibi* [*art. 223.*]

(✻✻) Signa remissionis sunt, si innocens conscius adulterii sponte coëat cum reo; aut maneat in eadem domo, mensa, lecto, etc. modo conjux innocens vere habeat animum remittendi.

(*89*) Probabilius non tenetur conjux innocens alterum de adulterio emendatum recipere.

331. Qua auctoritate fieri potest divortium ?

De hoc diversimode loquuntur Theologi: probabilius tamen dicendum posse fieri auctoritate privata, si delictum est publicum(y): si vero delictum est occultum, nequit fieri, nisi quoad torum tantum, sine auctoritate judicis (z 90).

332. Quinam est præcipuus effectus divortii perpetui?

Assumere statum perpetuum, scilicet profiteri religionem, aut suscipere sacros ordines (a).

333. Facto divortio perpetuo, potest nocens assumere statum perpetuum ?

Minime; nisi in sequentibus casibus: 1. quando innocens jam assumpsit statum perpetuum: 2. quando obtinuit consensum innocentis: 3. quando semel atque iterum veniam ab innocente quæsivit, et iste recusavit (b).

334. An ob divortium temporale assumi possit status perpetuus?

Minime, nisi divortium sit factum auctoritate Ecclesiæ ob hæresis crimen (c).

335. Ad quem spectant filii facto divortio ?

Ad innocentem: nisi aliud videatur melius (d).

336. Facto divortio, debeturne dos uxori ?

Si est factum amore virtutis, debetur (e): si est factum ob delictum viri, fructus dotis sunt uxoris (f): si est factum ob delictum uxoris, ei debentur tantum alimenta.

(y) *Arg. ex cap.* Significasti *cit.*

(z) *Cap.* Ex parte *9. de sponsal. et cit. cap.* Significasti.

(90) Facto divortio (etiamsi per sententiam judicis juxta probabiliorem opinionem) innocens semper jus habet reum revocandi, *D. Thom. in 4. d. 35. q. un. a. 6. ad 3. et alii communiter*, [*ex art. 227.*] Intelligitur, modo non sit status perpetuus assumtus.

(a) Ita communiter ex cau. *Agathosa* 21. caus. 27. q. 2.

(b) *Ex cit. cap.* Gaudemus, *et aliunde.*

(c) *Cap.* De illa *6. de divort. et ex aliis jur. loc.* (d) *Novell 117. cap. 7.* [*art. 232.*]

(e) *Ex cap.* Mulieres *1. de donat. inter vir. et uxor.* (f) [*art. 228. et sequent.*]

INDEX

TRACTATUUM, CAPITUM etc.

QUÆ IN HOC TERTIO VOLUMINE COMPLECTUNTUR.

TRACTATUS X.

DE SACRAMENTIS.

PARS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

PARS II.

DE NONNULLIS SACRAMENTIS IN SPECIE.

PARS III.

DE AUGUSTISSIMA EUCHARISTIA.

TRACTATUS XI.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

TRACTATUS XII.

DE ORDINE.

TRACTATUS XIII.

DE MATRIMONIO.

PARS I.

DE SPONSALIBUS.

PARS II.

DE MATRIMONIO.